E. 20. T. D.

Art 109

58

1092-58

S. 40

Ext. 2o. Fol. 2.

Ex. Lib. R.

CAES. BARONII

S. R. E. PRESBYTERI CARD.

TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI

Sedis Apoſtolicæ Bibliothecarij,

Paræneſis

Ad Rempublicam Venetam.

ROMAE

M. DC. VI.

ROMAE

M. DC. VI.

CAES. BARONII

S.R.E. PRESBYTERI CARD.

TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI

Sedis Apostolicæ Bibliothecarij,

Paræneſis,

Ad Rempublicam Venetam.

DOLEO vehementer, quod hortaturus vos, quos plurimum diligo, nullis tamen ſalutationibus, quæ communicatorijs ac pacificis [a] litteris inter Catholicos, Catholica communicatione coniunctos, in concordiæ ſymbolum, præfigi conſueuere, more maiorum, permulcere liceat: ſed ſalutationibus interciſis, non aliter, quam ſi ad homines extra Chriſtianam religionem errantes Gentiles ipſos ſcribendum foret, vobiſcum agere fas ſit: iubente id potiſſimum Domino [b] noſtro Chriſto IESV, vt qui Eccleſiam non audierit, ſit nobis tamquam Ethnicus & Publicanus. cum tamen his infelicibus vos ipſos reddideritis infeliciores; ſiquidem non ſolum Eccleſiam non audiſtis, ſed ſpreuiſtis, contempſiſtis, ignominia ſumma inſuper affeciſtis, publicis datis litteris, omni execratione digniſſimis, quas tamquam oſtentum Eccleſia vniuerſalis exhorruit, & vt monſtrum excuſſit. Quis Orthodoxorum, timens Deum, qui legat veſtras litteras contemptu plenas, non ſtatim offenſi numinis zelo exæſtuans, ex intimis præcordijs in propheticum [c] illud erumpat: Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer,] cum portæ [d] inferi adeo extolluntur contra Regnum cælorum, quod eſt Eccleſia, ac ipſum Dominum? At ſicut omnium in Deum bellum gerentium certus eſt caſus, ita nec dubia ruina, ſecundum illud ſa-

a *Auguſt epiſt.* 162.

b *Matth.* 18

c *Ierem.* 2.

d *Matth.* 16

crarum ſententiarum [a]: Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput eius cadet.]

Eccl. 27.

Cum igitur ea ſit communis vox exclamantium in vos Orthodoxorum: ſilere ne potuerunt ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ad quos non ſolum ſui capitis, ipſius Romani Pontificis defenſio ſpectat, ſed qui cuiuſcumque pro eccleſiaſtica libertate tuenda laborantis ſuſcipere patrocinium teneantur, ita ad eos martyrij candidato ſcribente, & iam ſanguinis voce clamante S. Thoma Cantuarienſi Archiepiſcopo: [b] Qua conſcientia diſſimulatis iniuriam Chriſto illatam in me, immo & in vobis, qui Chriſti vicem gerere debetis in terra? Nonne cauſa mea ſimul veſtra eſt? immo penitus veſtra, tueri videlicet tuentes eccleſiaſticam immunitatem?] Tanto igitur claſſico excitati, hortationem aggredimur, ſed quæ me prius doloris iaculis feriat, & vos pungat reprehenſionis aculeis ad ſalutem paratis. ita enim dictat exuberans dilectionis affectio, qua ſitio ſalutem veſtram in viſceribus Chriſti. Vnde & huius ſeries exhortationis emanat, nempe de corde [c] puro cõſcientia bona & fide non ficta.

Cod. Vat. in Opp. ep. S. Thom.

1. Tim. 1.

Quamobrem occurrentes veſtræ manifeſtæ perditioni, hiſce vos (vt in re valde ſeria) diuinis oraculis compellare compellimur: Quare [d] auerſus eſt populus iſte in Ieruſalem auerſione contentioſa? Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti. Attendi & auſcultaui, nemo quod bonum eſt loquitur: nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens; Quid feci? Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prœliũ.] vt viſus ſit optaſſe, quod fugiendum eſſet maximum omnium malum. Auerſio plane illa contentioſa eſt, qua diluenda peccata, ad pœnitentiam patefacta, atque damnata verbis ac ſcriptis, mira animi firmitate, immo dura obſtinatione, ac furenti pertinacia defendi dicuntur ab omnibus, dum omnium nomine Senatorum litteræ aduerſariæ promulgantur: cum tamen probe nouerimus, ſtudia iſta haud ab omnibus Senatoribus comprobari, immo prudentiorum ſententijs condemnari, atque lacrymis deplorari. Et quamuis aduerſantes dicant (quod ibidem ſubijcitur a Ieremia) Sapientes

Ierem. 8.

nos

nos ſumus,& lex Domini nobiſcum eſt:in eos ipſe iſta retorquet,dicens: Vere mendacium operatus eſt ſtylus mendax Scribarum.] vt merito illis,quos eadem peccata perſtringũt, vrgent,& damnant,timendum ſit, ne eadem quæ ibi ſubijcitur diuinitus immiſſa vindicta in exterminium gentis illius, vos maneat, vt feriat, perdat, atque conſumat. quod Deus a vobis auertat. Contingat enim me prius vita fungi, quam iſta adeo funeſta videre. Sumus,ſumus,ſicut & fuimus ſemper (teſtis eſt Deus) omnium veſtrum amantiſſimi & ſtudioſiſſimi, ſemper memores charitatis veſtræ, qua nos excepiſtis,cum Venetias veniſſemus,vt quantumlibet immeritus, & peccator,de vobis tamen mihi ſit propemodum prædicandum, quod Apoſtolus ait de Galatis: [a] Sicut Angelum Dei excepiſtis me,ſicut Chriſtum IESVM.] memores & frequentis per dies ſingulos concurſus & accurſus ampliſſimorum Senatorum,atque illuſtriſſimorum magiſtratuum, nos conuenientium, & (ſecundum illud Ioannis [b]) deducentium digne Deo.] Cum & quadam amoris exuberantia coegiſtis, & extorſiſtis importune impertiri vobis aliquid gratiæ ſpiritualis in miniſterio verbi Dei, vt ſic penes vos noſtri apoſtolatus licet indigne perfuncti remanſerint qualiacumque impreſſa veſtigia. Currebatis [c] bene,quis vos impediuit veritati non obedire? (ſic vos arguam verbis Apoſtoli.) Vtinam abſcindantur qui conturbant vos,] & mergunt in profundum abyſſi, ipſum imum barathrum peccatorum,quod eſt diſciplinæ contemptus. ſic enim in ſacris oraculis ſcriptum [d] eſt: Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.]

Ad quod puniendũ ſiue expiandum delictum,quo ipſe peccans perpurgari nolit inuitus, quod non accuſet, magis autẽ defendat, opus fuerit eccleſiaſtico conflatorio cenſurarum. (Eſt enim ignis in Sion, [e] & caminus eius in Ieruſalem) ad combuſtionem peccatorum. In qua quidem fornace ſic ardet ignis, vt purget, non autem conſumat niſi peccatum. Nam & [f] Corinthius ab Apoſtolo in hanc eſt fornacem immiſſus,in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. ita plane vbi bono remedio vtitur bene patiens, accidit iuxta illud Prouerbiorum: [g] Aufer rubiginem de argento, &

a *Galat.4.*
b *Ioan. ep.3.*
c *Galat.5.*
d *Prou.18.*
e *Iſai.31.*
f *1.Cor.5.*
g *Prou.25.*

egre-

egredietur vas puriſſimum: aufer impietatẽ de vultu Regis,
a *Iſai. 1.* & firmabitur iuſtitia thronus eius.] fiatq. quod & [a] per Iſaiã eſt pollicitus eidem populo ſuo, dicens: Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum, & reſtituam iudices tuos, vt fuerunt prius, & Conſiliarios tuos, ſicut antiquitus. Poſt hæc vocaberis Ciuitas iuſti, Vrbs fidelis.] Ita quidem agitur res feliciter, ſi qui ad purgandum in conflatorium mittitur, non contradicat, nec augeat potius reſiſtendo peccatũ. Eſt enim tantæ officinæ opifex Deus, idemq. ignis Dominus noſter
b *Malach. 3.* IESVS Chriſtus, quod [b] Malachiæ diuinitus oſtenſum eſt, qui ait: Ipſe quaſi ignis conflans,] & quod ſubdit: Sedebit conflans & emundans argentum.] Qui & docuit iſtaſ
c *Ioan. 15.* ſuos Apoſtolos: Omnia, [c] inquiens, quæ audiui a Patre meo, nota feci vobis] & collaborat vna cum ipſis. Nam hæc ad eos: Vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.]
d *Matth. 16.* Præficiens vero operi [d] Petrum, hæc ad eum: Tibi dabo claues regni cælorum. Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.] & ſpondens affore iugiter præſentia ſua ait: Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo: ego in medio eorum ſum.] & conteſtans, ſe etiam non
e *Luc. 10.* ſolum cum ſuis, ſed & in ſuis eſſe, adiicit: [e] Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.]

Vnde ſumma fiducia, qui diuinitus ab eo ipſius ſucceſſor ſubrogatus eſt Paulus, Pauli his potuerit ac debuerit vti verbis:
f *2. Cor. 13.* [f] An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? Quibus eſt vſus verbis Apoſtolus, cum comminatus eſt ſupplicium Corinthijs delinquentibus, vt ſciret Eccleſia, vltori ſcelerum aſſiſtere Deum Epiſcopo, eius honorare miniſterium, approbare auctoritatem. Hoc vniuerſorum ſanctorum Patrum concilium probat: quod denique ſcriptor ſuorum temporum luculentiſſimus Petrus ad Cæleſtinum
g *Petr. Bleſ epi. 146.* Pontificem ſcribens, his verbis inſinuat: [g] Princeps Apoſtolorum adhuc in Apoſtolica Sede regnat & imperat, & in medio eſt conſtitutus iudiciarius rigor. Illudq. reſtat, vt exeratis in maleficos, Pater, gladium Petri, quem ad hoc conſti-

tuit

tuit ſuper gentes, & regna. Chriſti Crux antecellit Cæſaris aquilas: gladius Petri gladio Conſtantini, & Apoſtolica Sedes præiudicat Imperatoriæ poteſtati. Veſtra poteſtas a Deo eſt, an ab hominibus? Nonne Deus deorum locutus eſt vobis in Petro Apoſtolo, dicens: [a]Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis?] Non ergo degenerat in herede Petri dignitatis Apoſtolicæ reuerenda ſucceſſio. a *Matth. 16.*

Paulus igitur, idemq. Petrus, vicem Chriſti agens in terris, ſuorum ſanctiſſimorum prædeceſſorum exemplo, ſalubre, idemq. neceſſarium ad ſalutē remedium eſt operatus in vobis, iam in certum prolapſis interitum, quo Imperatores & Reges eodē morbo duræ pertinaciæ laborantes redditi ſunt priſtinæ ſanitati, & inter alios, qui penes vos curatus eſt Fridericus Aenobarbus, diuturnus & obſtinatus hoſtis Eccleſiæ; cupidiſſimusq. idē Pontifex veſtræ ſalutis, ſalutaria vincula parauit, ad perpurgationem conflatorium amoris incendit, cum in vos tonitrui inſtar cælitus lapſi ad perterrendum, potius quam ad perdendum, ſalubrem ſententiā excommunicationis intorſit in ſacro illo eodemq. pleno fratrū cōſeſſu, vniuſcuiuſque rogata ſententia. Tunc plane accidit ſecundū illud [b] propheticum: Commota ſunt ſuperliminaria cardinū a voce clamantis.] Cum nimirum ſacro ſuffragio reuerendiſſimorum S.R.E. Cardinalium eadē ſententia diuerſis rationibus ſtabilita, diſertis verbis aſſerta, magna animi conſtantia confirmatur ab omnibus, & roboratur: quod ſcirent omnes, a Deo decretum, quod eſſet per eius Vicarium promulgatum ſumma prudentia, atque ſcientia. ſic namque ipſi, rem tantam agentes maiorum ſuorū exemplo, memores patriæ vocis, qua olim [c] Romanus Clerus ita litteris contra ingruentes ſchiſmaticos ſanctū allocutus eſt Cyprianū: Abſit ab Eccleſia Romana, vigorem ſuū tam profana facilitate dimittere, & neruos ſeueritatis, euerſa Fidei maieſtate, diſſoluere, &c.] Sicq. priſtinum retinuerunt cum ſano capite coniuncta membra vigorem. Factum eſt igitur, vt quod maiorū exemplo fuerat faciendum, & facientibus bene ceſſiſſe ſciretur. b *Dan. 4.* c *Apud Cypr. epiſt. 31.*

At hic (quod lamentatus eſt [d] Ieremias) defecit ſufflato- d *Ierem. 6.*

rium,

rium,in igne combuſtũ eſt plumbum. Fruſtra conflauitconflator; malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ.] & quod queritur [a] Ezechiel dicens: Multo labore ſudatum eſt,& non exiuit de ea nimia rubigo eius neque per ignem. Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mũdata a ſordibus tuis. Ego Dominus locutus ſum.] Quibus ita peccantibus alterum de duobus euenire ſolet, & quod terribilius,illud,vt iſtiuſmodi a Deo penitus deſerantur, ſecundum illud diuinum oraculum: [b] Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam.] Vt ſit maxima omnium illa comminatio, quam intulit in furore ſuo per [c] Ezechielem: Requieſcet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus a te,& quieſcam,nec iraſcar amplius.] Vnde & deducta vulgata illa antiquorum ore ſententia: a priſcis [d] etiam Gentilibus tamquam axioma recepta: Nihil eſſe infelicius felicitate peccantium,] ab antiquis etiam Chriſtianæ religionis [e] tractatoribus pariter vſurpata. Alterum vero totum miſericors & peccantibus maxime vtile: nempe vt qui in conflatorio Eccleſiæ ſancto pioq. ipſorum repugnante malitia,& aduerſante proteruia,mundari non meruerunt: in aliam longe ardentiorem,manibus hoſtium præparatam, incenſamq. hoſtilibus flammis fornacem comburendi mittantur,vt factum eſt populo Iudæorum,cum eorum ciuitas cum templo in direptionem, combuſtionem, & deſolationem; ipſi autem dati ſunt in captiuitatem Aſſyriorũ,ad quos iſta declamauerat iuſſu Domini Propheta ſanctus: [f] Eo quod verſi eſtis omnes in ſcoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Ieruſalem, vt ſuccendam in ea ignem ad conflandum. ſic congregabo in furore meo, & in ira mea, & requieſcam: & conflabo vos: Et congregabo vos, & ſuccendam vos in igne furoris mei, & conflabimini in medio eius &c.] quæ hæc & alia ibi poſita immenſa mala; quæ tamen & exoptanda magis fuerint,quam relinqui miſeros obſtinate peccantes, maiori ira Dei in æternum plectendos.

At quid profuit,quod tu,cõfringens iugũ Domini,& rumpens vincula ipſius,dixiſti: [g] Non ſeruiam?] Cũ iſta conuertantur in damnum tuum, ſicut populo illi,qui ligneas [h] confrin-

[a] *Ezech. 24.*
[b] *Ierem. 51.*
[c] *Ezech. 16.*
[d] *Senec. de diuin. prou. c. 3. ex Demetrio.*
[e] *Origen. in Periarch. Hieron. epiſt. 33.*
[f] *Ezech. 22.*
[g] *Ierem. 2.*
[h] *Idem. 28.*

fringens catenas, expertus est ferreas. Sic (inquiens Dominus) malitia tua [a] arguet te, & auersio tua increpabit te, & scito, quia malum & amarũ est reliquisse te Dominũ Deum tuũ.] Vis scire quam malum? ex verbis Domini facile est subducere rationem. Qui contestatus, ne vel vnus ex pusillis, qui in eum crederent, contemni deberet, est comminatus supplicium quam acerbissimũ in eum, qui scandalizauerit [b] vnum de pusillis. adeo vt ne in illud incurreret, expediret potius, vt suspenderetur mola asinaria de collo eius, & demergeretur in profundum maris. Quæ, rogo, pœna manebit peccantem in maximum, si ita horrenda atque terribilis teneat eum, qui peccauerit in pusillum? vnde merito tunc illud Dominus exclamauit: Væ mundo a scandalis.]

a *Ierem. 2.*

b *Matth. 1*

Vis adhuc scire quam amarum? prophetica veluti in te conuersa oracula intuere. Est namque sermo Dei gladius vtraque [c] parte acutus ad feriendũ, sicuti anteriora, etiam posteriora: vt vbi par culpa, par feriat quoque vindicta. Ieremiã itaque [d] audi & paueſce dicentem: Quæ habitas super aquas multas, locuples in thesauris, venit finis tuus pedalis præcisionis tuæ.] Præcisam namque te pedali præcisione a trunco per excommunicationis sententiam constat. Posthac bona quænam speranda? & mala quæ non timenda? a radice præciso ramo quis vlterius viror? Radix est namque ex sententia [e] Cypriani ipsa Romana Ecclesia, quæ plurimo germine se diffundens in arborem, in Catholicam crescat, e qua si præciditur ramus, arescit ad ignem. Ipsa quippe omnium in terra mater, vt Deus in cælo Pater. Adeo vt eiusdem [f] sententia Martyris, habere non possit Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem,] Romanam intelligens, dum ait, quod in Petro vna Christi Ecclesia, vna Cathedra demonstratur. Vides igitur quam amarum, præcisam te ab Ecclesia, præcisam esse pariter a Domino Deo tuo? Hæc vero damna vestra duplicantur mensura conferta & coagitata, si non sentitis ea vestra colla prementia; sed si contemnitis, centuplicantur ipsa, immo crescunt in infinitum. quæ tanta mala vt caueatis, hortamur, rogamus magis, & exoramus.

c *Apoc. 1.*

d *Ierem. 51.*

e *Cyprian. epi. 55.*

f *Idem de Vn. Eccl. Cath.*

Sed quoniam vos, vt olim auersatrix [g] Israel incredibili ad-

g *Ierem. 2.*

uerſus Deũ contendẽs pertinacia, adhuc inſane dicebat: Abſque peccato, & innocens ego ſum.] cum Deus ad eam: Ego iudicio contendã tecum, eo quod dixeris: Non peccaui,] vos, inquã, excuſantes excuſationes in peccatis, immo defendentes, & redarguentes qui iuſte redarguunt, Deo pugnaciter & Eccleſiæ reſtitiſtis: prouoco vos ad prima Chriſtianæ Fidei rudimẽta, immo ad ipſius Naturæ cunabula, a quibus aberrantes, per deuia ferri, inferriq. in abrupta præcipitia ſit neceſſe.

Iure namque diuino atque humano ſacra a profanis eſſe debere diſtincta, & diuerſæ cenſeri penitus rationis: norũt omnes, adeo vt de his nulla dubitatio eſſe poſſit. Sacra autẽ quã illæſa voluerit Deus in ſua Eccleſia conſeruari: cum plurima ſuppetant ex diuinis Scripturis exempla, vnum vel alterum tantummodo referemus, vt ſic breuiter cauſam abſoluamus. Quo enim iſta cuique hominum magis paterent ad ſenſum, voluit Deus altiſſimi parietis interſtitio ſacras ædes a profanis eſſe in templo diuiſas, vſque adeo, vt nequaquã Regibus liceret illum a Deo conſtitutum terminum tranſilire, ſed neque eidem appropinquare abſque numinis offenſa grauiſſima. Hinc vehemens illa querela Domini in [a] Ezechiele ad uerſus Reges Iuda: Fabricati ſunt, inquit, limen ſuum iuxta limen meum, & poſtes ſuos iuxta poſtes meos (& murus erat inter me & eos) & polluerunt nomen ſanctum meum &c.] Si igitur non licuit Regibus appropinquaſſe termino præſtituto inter ſacra atque profana: quomodo in eum irrumpere, & ſuos intra ſacra ſepta erigere parietes licuiſſet? Ita plane erudiens Principes, longe diuerſa eſſe inter ſe iura templorum, atque regnorum. Quod omnibus conſiderandum proponi volens Deus, ſic alloquitur Ezechielem: Tu autem, fili hominis, oſtende domui Iſrael templum; & confundantur ab iniquitatibus ſuis, & metiantur fabricam, & erubeſcant quæ fecerunt.] Ita plane fiet, vt & vos iſta metientes, erubeſcatis; vnde & magis pœniteat, non ſolum limen & poſtes iuxta ſacrum parietem extruxiſſe, ſed ſacrum diſſipaſſe, & veſtrum erexiſſe, dum quæ ſunt Eccleſiæ iura peruaſiſtis. quamobrem in vos illud accipite dictum ab Iſaia: [b] Erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens, &

Ezech. 43.

Iſai. 30.

requi-

requisita in muro excelso, quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio eius, & comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione perualida, & non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea.] Sed ne fiant ista, hortamur, anteuertite precibus & pœnitentia.

Hæc de muro ex veteri Testamẽto, quæ in figura contingebant illis, in Nouũ transferenda esse spirituali sensu monemur, sed latiori mensura. Etenim in Christi Ecclesia non murum vnũ tantummodo diuidentẽ inter sacra atque profana positum esse scimus, sed murum & antemurale, vt cecinit suo cantico Isaias, dicens: [a] Saluator ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur gens iusta custodiens veritatem,] non autẽ profanans sacra, diuina conculcãs, temerans sancta, & dissipans Sanctuariũ, quæ cũ intus fuerit, iubetur proijci ab ecclesia, secundũ illud [b] Apocalypsis: Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendaciũ.] in quorum sortem conijcit idem [d] Isaias, qui leges iniquas statuunt, dicens: [c] Væ qui condunt leges iniquas; & scribentes, iniustitiam scripserunt. Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longe venientis? ad cuius confugietis auxilium? & vbi derelinquetis gloriam vestram, ne incuruemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis?] hæc tanta mala aggregata audiuimus, exigente diuina vindicta, in condentes leges iniquas. Sed quid si addatur, præscribi eas & non subditis? plane tyrannicum esse, vno omnes ore clamabunt. Et si apponatur, & sacris? nomen sacrilegorum non effugient. Quod tantum crimen mox præcipuum sensit [d] Petrum vltorem. Cui non satis visum in vltionem facinoris eiusmodi delinquentes sententia anathematis ab Ecclesia seperare; sed in terrorem credentium voluit eos interfeciſſe spiritu oris sui, ita horribili delinquentium pœna sanciens in Ecclesia disciplinam, ne dicata semel saltem mentis proposito dona Deo, quis impie auderet attingere. Quod plane eo redditur execrabilius scelus, si lege firmetur, vt iure fieri videatur, quod contra ius diuinum etiam

a *Isai. 26.*

b *Apoc. 22.*

c *Isai. 10.*

d *Act. 5.*

vſurpatur. Stent igitur altiſſimi ijdemq. fortiſſimi diuidentes ſacra a profanis exaltati a Chriſto parietes, quibus Imperia ſunt diuina lege diſtincta, vt quæ ſunt Cæſaris Cæſari [a], & quæ ſunt Dei Deo reddantur, ne quid a Principibus aduerſus perſonas Deo dicatas, vel bona eidem oblata, aut iura ipſi debita vendicetur.

a *Matth.* 22.

In quibus attendite quotupliciter deliquiſtis, cum primo leges ſancieritis in non vobis ſubditos homines Deo ſacros; deinde quod tuleritis eas aduerſus loca ſacra, & res ſacras, nempe bona Deo dicata; ac quod denique iura ſacra, vt veſtra ſtatueretis, penitus euerteritis, & quidem non ſine magno periculo lædendæ Catholicæ Fidei, in cõfundendo, immo euertendo ordinem hierarchicum, a Deo in ipſa Eccleſia Catholica antiquitus inſtitutum, a Chriſto confirmatum, prædicatum ab Apoſtolis, aſſertum in Concilijs, roboratum traditione, cultuq. receptum ab omnibus orthodoxis Principibus, & alijs cunctis inferioris ordinis Chriſtianis. Quæ enim (inquit [b] Apoſtolus) ſunt a Deo, ordinata ſunt.] interuertitur quidem ordo hierarchicus, ſi quæ ſunt alterius, alter ſibi perperam ſumat. De huiuſmodi enim idem [c] Apoſtolus, qui fixos terminos ſacros tranſgrediuntur, hæc ait: Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti,] vtpote redditi malo opere iniuſtiſſimi.

b *Rom.* 13.

c *Ibid.* 10.

Quid igitur vobis arrogatis de iuribus eccleſiaſticis ſancire leges, eaſdemq. aduerſarias legibus eccleſiaſticis, quandoquidem laicis inconceſſum ſit etiã proficuas præſcribere de his leges? Audite quid in Romano Concilio ſub Simplicio Papa fuerit actitatũ, vbi agens Baſilius vicem Odoacri Regis, legem tulit de nõ alienandis bonis eccleſiaſticis: cui vos contrariam promulgatis, vt alienari omnino debeant. Interceſſit enim tunc Maximus Bleranus Epiſcopus, qui conuerſus ad ſanctam Synodũ dixit: De me licuit laico legem dare? Reſpondẽs ſancta Synodus, dixit: Non licuit, & recitata in Synodo ipſa lege, hæc de ea Eulalius Epiſcopus Syracuſanus: Scriptura, quæ in ſacro Concilio eſt recitata, nempe conſtitutio de non alienandis bonis eccleſiaſticis,

eui-

euidentissimis documentis constat esse inualida. Primum, quod contra Patrum regulas a laicis, quamuis religiosis, quibus nulla de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur vmquam attributa facultas, videtur. Deinde, quod nullius Præsulis Apostolicæ Sedis scriptione firmetur &c.] Si istas neruosas adeo antiqui Patres nostri in Romano Concilio aduersus laicos legislatores dixere sententias: tolerabimus nos latas a vobis leges iniustas, atque damnosas, bona ecclesiastica dissipantes? cum latas a Regibus pro eorumdem conseruatione proficuas, ea tantum ratione, quod non esset laicorum præscribere sacerdotibus leges, Patres continuo abrogarunt?

Quam autem fuerint cauti posteriores orthodoxi Imperatores Occidentales, ne quid inconsulto Romano Pontifice statuerent in Ecclesia, etiam si pro Ecclesia: deducantur in exemplũ vertices illi sæcularis potẽtiæ, toto orbe conspicui, Christianissimi Imperatores Carolus Magnus, & Ludouicus Pius, qui summa religione colligentes in vnũ diligentia sanctorum monachorũ leges ecclesiasticas suis admixtas: non nisi eas prius recognitas ab Episcopis, probatas vero ab Ecclesiæ Romanæ Pontificibus, edere præsumpserunt, prout ex eorumdem præfationibus constat. Qui plane nihil antiquius semper habuerint, quam ecclesiasticam libertatem, in primis vero auctoritatem primariam Romanæ Ecclesiæ sartam tectam posteritati mandare. Hinc illud apud eos: [a] Constitutiones contra canones & decreta Præsulum Romanorum, seu reliquorum pontificum, vel bonos mores, nullius sint momenti.] & inferius de auctoritate Papæ super omnes Episcopos: [b] Comprouincialis Synodus retractetur per Vicarios Vrbis Romæ Episcopi, si ipse decreuerit.] Quod si quid criminosum per clericos committi contingeret; quid in eos agendũ, censet Carolus cum Episcopis Romanum [c] Pontificem consulendum. itidem, ne quid graue, incõsulto Romano Pontifice ageretur: &, Si maiores causæ in medio fuerint deuolutæ: ad Sedem Apostolicam (vt sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit) incunctanter referantur.] Si hæc ergo, quæ in

[a] *Capitul. lib. 7 c. 265. 267.*

[b] *Lib. 5. c. 33.*

[c] *Lib. 7. ep. 187*

fauo-

fauorem Eccleſiæ ſancita eſſent, non abſque confirmatione ſummi Patris Romani Pontificis edere præſumpſerunt Imperatores Chriſtianiſſimi: qua fronte alij, quorumve exemplo, niſi Iuliani Apoſtatæ, vel aliorum tyrannorum, aduerſarias ſanctæ Eccleſiæ iuribus leges ſcribunt, & promulgant? Audite poſt alios ex Ioanne [a] Damaſceno, quorumnam ſit iura eccleſiaſtica condere, cum poſt multa eodem argumento tractata ſubijcit iſta: Regum eſt ciuilis adminiſtratio; eccleſiaſtica vero conſtitutio paſtorum atque doctorum.] & inferius: Non ſuſcipio Regem ſibi ſacerdotium per tyrannidem vendicantem.] & poſt enumeratos Imperatores Orientales tyrannice rem agentes ſubdit: Non regijs regulis, ſed Patrum inſtitutis tam ſcriptis, quam non ſcriptis Eccleſiam cenſeo conſtitui, & gubernari debere.]

[a] *Ioan. Dama. de imag. orat. 2.*

Sed audite optimi Imperatoris Baſilij Macedonis verba, & exempla imitamini, ita in Octaua Synodo œcumenica Catholicos laicos alloquentis: De vobis autē laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui abſolute cōuerſamini, quid amplius dicā, quam quia nullo modo nobis licet de eccleſiaſticis cauſis ſermonem mouere, neque penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ, & vniuerſali Synodo aduerſari. Hoc enim inueſtigare & quærere, Patriarcharum, pontificū, & ſacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ſoluendi & ligandi poteſtatem habent, qui eccleſiaſticas & cæleſtes adepti ſunt claues: nō noſtrum qui paſci debemus, qui ſanctificari, hoc eſt benedici, qui ligari, vel a ligamento ſolui egemus. Quantæcumque enim religionis & ſapientiæ laicus exiſtat, vel etiam ſi vniuerſa virtute intus polleat, donec laicus eſt, ouis vocari non deſinet. Rurſus Epiſcopus quantacumque ſit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec Antiſtes eſt, & veritatis verbum recte prædicauerit, paſtoris vocationis & dignitatis damna nō patitur. Quæ ergo nobis ratio eſt in ordine ouiū conſtitutis paſtores verborum ſubtilitate diſcutiendi, & ea quæ ſuper nos ſunt, quærendi, & ambiendi? Oportet ergo nos cum timore & fide ſincera hos audire, & facies

cies eorũ vereri: cum sint ministri Domini omnipotentis, & huius formam possideant & nihil amplius, quam quæ nostri ordinis sunt, requirere. Nunc autem, vt videmus, adeo multos malitia in insaniam accendit, vt obliuiscentes proprij ordinis, & quod pedes sint, minime cogitantes, legem ponere velint oculis, non vt natura se habet.] & inferius: Itaque moneo & exhortor omnes, qui tales sunt, vt maledictum & alternum odium auertentes, & iudicare iudices desinant, attendant sibi, & secundum diuinam voluntatem conuersari contendant. Nam non quiescet supremũ Iudicium, sed contra dissidentes diuinus furor stillabit, & iustam vltionem opere cunctis ostendet.] hæc Basilius. Quæ paulo fusius ad verbum retulisse voluimus, vt tanti Imperatoris exemplo intelligatis, quam reuerentiam & obedientiam rebus ac personis ecclesiasticis exhibere debeatis. Sed alia innumerabilia eaq. clarissima in hoc genere exempla breuitatis causa recensere prætermittimus.

Est autem illud omnino falsum, quod ad peccati excusationem affertis; id ipsum scilicet factitatum a vestris antecessoribus, qui se nemini subijcientes, quod proficuum Reipublicæ videretur, hoc statuerent. At secus quidem illi, qui quod sibi scirent legibus ecclesiasticis inconcessum, nequaquam audebant decernere suis legibus, sed extorquendum putabant per Patriarcham, quod negandum sibi scirent a Romano Pontifice. In hoc sane vobis modestiores, quod non auderent condere leges de his, quæ nossent ad forum ecclesiasticum pertinere. Vt hæc autem euidentiori percipiatis exemplo, cum plures extent de his litteræ, vnæ illæ, quæ & breuiores, recitandæ hic erunt Innocentij Papæ III. datæ ad Patriarcham Constantinopolitanum, ciuem Venetum, nuper creatum, cum ab ijsdem Venetis simulq. Gallis ipsa Constantinopolitana ciuitas est capta anno Salutis millesimo ducentesimo quarto. Sic enim se habent, vti leguntur in codice Actorum eiusdem Pontificis. qui ita incipit a ministerio sibi a Deo credito in regimine vniuersalis Ecclesiæ:

Ad hoc (inquit [a] Deus) Apostolicæ Sedis Antistitem, [a] *Ierem. 1.*

qui

qui plenitudinem habet eccleſiaſticæ poteſtatis, ſuper gentes & regna conſtituit, vt iuxta verbum propheticum euellat & deſtruat, diſſipet & diſperdat, quæ in agro Dominico tuæ culturæ commiſſo inutilia reperit & nociua, iuxta quod alibi ſibi præcipitur a Domino per Prophetam: [a] Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes. Nos igitur attendentes iuramentum illud, quia prorſus illicitum, non eſſe ſeruandum, quod a te Venetijs conſtituto fuit a Venetis violenter extortum, ſicut tua nobis inſinuatio patefecit (vt videlicet neminem ſis facturus Canonicum in eccleſia ſanctæ Sophiæ niſi Venetæ nationis, vel qui continue per decenniũ Venetijs habitaſſet: quodq. bona fide, modis omnibus, quibus poteris, laborabis, vt ſemper in eccleſia ſanctæ Sophiæ ſit de Venetijs Patriarcha, ſaluis tamen in omnibus Apoſtolicæ Sedis iure, auctoritate, reuerentia, & honore. Licet hæc conditio ſtaret adiecta, vt non ſit in ſcriptis redacta) præſentiũ tibi auctoritate mandamus, & in virtute Spiritus ſancti diſtricte præcipimus, quatenus iuramentum illud nequaquam obſerues, cum Sanctuarium Dei non ſit hereditario iure ab aliquibus poſſidendum, ſed in omni gente, qui facit iuſtitiam, acceptus eſt Domino: præcauens diligenter, ne poſt hoc Apoſtolicæ Sedis præceptum in præmiſſis articulis iterum delinquas. Qui ſi de cetero ſolos Venetos in eccleſia ſanctæ Sophiæ Canonicos inſtitueris, aut ad hoc impenderis operam qualemcumque, vt ſemper in eadem eccleſia ſit Venetus Patriarcha, in ipſa non ponendo Canonicum, niſi iuret, quod numquam alium niſi de Venetijs eliget, aut recipiet Patriarcham: nulla deinceps ratione ſuper his poteris excuſari. Sed nec illud obſerues, quod abſque iuramento diceris promiſiſſe, vt neminem Archiepiſcopum præter Venetum in tota facias Romania. Ne vero prætextu iurationis canonicæ, aut cuiuſcumque promiſſionis obtentu talia de cetero præſumantur, aut ſi præſumpta ſint obſeruentur: nos obligationes huiuſmodi auctoritate Apoſtolica irritamus, ſub interpoſitione anathematis prohibentes, ne quis ea obſeruare præſumat: tibiq. præcipimus, vt id

[a] Iſai. 58.

Ca-

Canonicis sanctæ Sophiæ nõ solum instituas, sed etiam instituendo caute denunties, quatenus hoc nefas valeant euitare. Licet autem plus debueris Dominum timere, quam homines, ne iurares aliquid propter homines contra Deũ: si tamen in illo iuramento per vim & metum extorto præscriptam adhibuisti cautelam, vt iuraueris, saluo in omnibus Apostolicæ Sedis iure, auctoritate, reuerentia, & honore: nos tibi delictum humiliter confitenti ex speciali gratia indulgemus, vt huiusmodi iuramentum nullum tibi possit præiudicium generare, dummodo præceptum, quod salubriter tibi facimus, ad saluandum ius, auctoritatem, reuerentiam, & honorem Apostolicæ Sedis, contra cuius statuta, ea quæ sunt iurata, redundant, fideliter exequaris.

Ceterum & si præscripta nobis a tuis Nuntijs secreto fuerint annuntiata: noueris tamen pro certo, quod quædam eorum certa relatione prius fuerant nostris auribus patefacta.] Hactenus litteræ Innocentij, quibus etsi non laudanda de maioribus vestris annuntiantur vobis, eos tamen reuerentiores fuisse, vt qui non ausi fuerint, vt vos facitis, de clericis leges sancire, satis apparet. Noueritis ex ijsdem pariter, haud adeo nouum, vt insurgant Romani Pontifices vindices aduersus vestros pro tuenda libertate ecclesiastica. ita quidem Innocentius.

Qui & si adeo redarguit Patriarcham pœnitentem, ad Romanam Ecclesiam supplicem confugientem, qua reprehensione, quibus comminationibus & censuris exagitasset vestros Præsules, quos non dixerim Episcopos, tanto nomine indignos, sed mercenarios, immo nec hoc nomine honestandos, cum nec sibi fuga, vt assolent mercenarij, consuluerint, sed lupos potius nominandos, qui se lupo venienti coniunxerint, atque in gregis totius internecionem miscuerint. Quod nolim contumeliæ loco dictum accipiant: mendax arguar, nisi hoc ipsum Euangelica auctoritate constiterit; nam cum præstent ipsi, quod luporum est, lupos dici debere non renuant: est namque luporum oues dispergere, vt testatur Euangelista: [a] Omnes autem schismaticos dispergere, Christi IESV sententia illa firma- *a Ioan. 10.*

[a] Luc. 11. tur, qua inquit: [a] Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non colligit mecum, diſpergit.] Quod iure in eius Vicarium transferatur, vt diſpergere æque dicatur omnis, qui non colligit cum Romano Pontifice. nam audi Catholicæ Eccleſiæ tubam, ſanctum [b] Hieronymum, ſcribentem ad Damaſum Romanum Pontificem: Quicumque tecum non colligit, ſpargit. hoc eſt: Qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.] Paſtorum vero eſt, Chriſto collaborare, pro eius grege ex aduerſo conſurgere, Principibus plus æquo ſibi ſumentibus ſacerdotali vigore reſiſtere, conſtantia infracta reprehendere. quod & nauiter ab alijs omnibus Romanis Pontificibus actitatum ſcimus aduerſus quoſcumque Principes, vt continuo inſurgerent legum Principum abrogatores vel correctores. Vt feciſſe ſanctus [c] Gregorius inuenitur, qui legem Mauritij Imperatoris, cogentem ad militiam monachos, non niſi emendatam promulgandam curauit. Præſtiterunt & hoc ipſum alij inferiorum eccleſiarum Epiſcopi, & inter alios ſanctus Ambroſius acerrimus vindex eccleſiaſticæ libertatis, ne [d] inuaderetur ea aliquatenus a laicis quamuis Imperatoribus orbis dominis. Qui & legem trium Auguſtorum aduerſariã eccleſiaſticæ libertati Mediolani tunc promulgatam [e] reuocari coegit, & edi omni errore purgatam.

[b] Hier. ep. 57.

[c] Greg. lib. 2. ep. 62. & lib. 7. ep. 10.

[d] Ambr. ep. 32. 33. vet. edit.

[e] Cod. Theod. lib. 27. de Epiſc.

Sed quid ſingulos memorem? iam ex ſacro œcumenico Concilio inferamus hic teſtimoniũ; ne quid Principes ſuis legibus ſibi arrogent contra leges eccleſiaſticas. In ſacroſancto Chalcedonenſi Concilio cum cauſa Epiſcoporum ageretur, Euſtathius Berythi Epiſcopus ſic compellauit iudices cognitores: Num ſecundum canones eccleſiaſticos, an ſecundum leges Imperatoris cauſa dirimenda eſſet? Tunc ijdem interlocuti iudices, iſta dixere: Sacratiſſimo domino orbis placuit, non iuxta ſacras Imperatoris litteras & pragmaticos typos res ſanctiſſimorum Epiſcoporũ procedere, ſed ſecundum canones a ſanctis Patribus datos. Omni igitur ceſſante e ſacris pragmaticis definitione: canones de hoc capitulo editi legantur.] hæc iudices cognitores, qui ad ſanctam Synodum conuerſi, hoc ipſum rogarunt,

garunt, Vtrum ei placeat ex regulis Patrum huius causæ quæstionem examinari, an ex sacris pragmaticis? sancta Synodus dixit: Contra canones nihil pragmaticũ valebit, regulæ Patrum teneant.] hæc ibi, atque modo satis de his quæ generatim spectant ad leges Principum, latas de rebus atque personis ecclesiasticis. Nunc autem speciatim (vt cominus rem agamus) descendamus ad eas, quas vos sanxistis aduersus ecclesiasticam libertatem, quarum causa ab Ecclesia Catholica sententia excommunicationis iustissime excisi estis.

Redarguimini in primis litteris Apostolicis sanxisse legẽ, qua cauetur, ne personæ ecclesiasticæ sæculares & regulares in bonis ecclesiasticis a laicis possessis sub quouis titulo, aut colore, iure prælationis, seu consolidationis directi cum vtili dominio, aut extinctionis lineæ, aut alia quauis causa bonorum prædictorum proprietatem sibi vendicare vllo vmquam tempore possint. Hoc est decretum in consilio vestro firmatum, quo iura humana pariter ac diuina subuertere nitimini. nam cum & prædones ab iniusta possessione exturbare sit vetitum, quomodo Christo ius acquisitum tollere præualetis? Verum caput hoc ad emphyteuses spectans superfluum fuerit attigisse, eo quod a vobis veluti causa cadentibus, in vestris est litteris prætermissum, iam euicta causa vestro silentio: & quidem prudenter a male cœptis desistentibus, manus dantibus. Quod si in reliquis id ipsum præstitissetis, vere sapientium specimen numquam obliuione delendum posteris edidissetis, quibus tantopere frustra laboratis præscribere leges Deo penitus aduersarias.

Exagitamini insuper litteris Apostolicis, per vos statutum, Ne quis ecclesias, monasteria, hospitalia, atque alias religiosas domos Venetijs, & vbique locorum dominio vestro subiectorum sine vestra speciali licentia fundet & erigat. Quam autem contra ius, fasq. id præsumpseritis, quæ dicturi sumus, vos commonebunt. [a] Clamat S. Ambrosius, cum vel vnam saltem ecclesiã in ampliſſima Mediolanensi ciuitate Valentinianus orthodoxus Imperator exposceret, [a] *Ambr. ep. 33.*

& in negatam irrumperet, inquiens: Domum priuati nullo potes iure temerare; domũ Dei exiſtimas auferendam? allegatur, Imperatori licere omnia, ipſius eſſe vniuerſa. Noli te grauare, Imperator, vt putes te in ea quæ diuina ſunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere; ſi vis diu-
a Matth. 22. tius imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt: [a] Quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad ſacerdotem eccleſiæ. Publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum. Iterum dicitur mandaſſe: Debeo & ego vnam baſilicam habere. Reſpondi: Non ſibi licet illam habere.] hæc ſanctus Ambroſius ad Valentinianum orthodoxum & bene Catholicum Imperatorẽ, matris Iuſtinæ tamen inſtantia cauſam agentem Arrianorum, qui eo, quod vi ſibi vnam eccleſiã vendicare tentauit, licet dimiſerit: cito citius expertus eſt, quod Sanctus fuerat comminatus, vt tyranni gladijs cõfoſſus deſierit imperare. Quod S. Ambroſius in Occidente, id ipſum præſtitit ſanctus
b Theod. hiſt. lib. 5. c. 32. Ioannes [b] Chryſoſtomus in Oriente. Cum Gaina tyrannus peteret dari Conſtantinopoli eccleſiam vnam, & ad hanc concedendam Imperator inclinaretur Arcadius: reſtitit vtrique Chryſoſtomus, Imperatori ſcilicet, quod promitteret, quod ſub iure ſuo non eſſet repoſitum; & tyranno, quod male peteret, quod non eſſet Imperatoris.

Sed non ſolum id tanti profeſſi ſunt ſacerdotes, ſed etiam ipſi modeſtiſſimi Imperatores. Nam illa Occidentalis Imperij culmina Auguſtiſſima, æque ac robore militari potentia, ſimulq. doctrina rerum ſacrarum conſpicua, Carolus & Ludouicus, cum faterentur ſuper eccleſias nullum ſibi vendicandum eſſe dominium, vere legitimi laudati ſunt Imperatores, vt qui lege ſcripta profeſſi ſunt, non tantum in eccleſiarum conſtructione aliquod ius non eſſe conceſſum Imperatoribus, ſed neque abſque Epiſcopi licentia domi ſuæ Oratorij conſtruendi habere aliquam facultatẽ. quod probe cognitum pragmatica ſanctione ita relinque-
c Lib. 1. c. 182. re voluere teſtatum, his verbis: [c] Placuit nobis, vt (ſicut ab Epiſcopis & reliquis ſacerdotibus, ac Dei ſeruis admoniti fuimus) ne capellæ in noſtro palatio, vel alicubi ſine

per-

permissu Episcopi, in cuius est parochia, fiant.] Si igitur nec capellam vnam & in suo palatio ædificandi absque licentia Episcopi tanti Imperatores facultatem se habere testati sunt; quomodo ædificandi ecclesias, & alia religiosa loca dandi licentiam, vel negandi, vos ita vobis arrogatis auctoritatem?

Verum habetis vos, quo magnopere gloriemini, habetis quem ostendatis vestræ legis auctorem Nicephorum Phocam Constantinopolitanum Imperatorem, qui reperitur vestræ similem condidisse legem, quam ob eius turpitudinem oportuit promulgasse elegantioribus fucatam coloribus. Ac plane talem vos imitatos esse hominem, est vt ex hoc magnopere erubescatis, vtpote monstruosum, fœdum, tam Græcorum, quam Latinorum historicorum, & Luitprandi Episcopi Cremonensis apud eum legatione perfuncti stylo exagitatum, & ad summam turpitudinem denigratum, atque infamissime deformatum. Huius Imperatoris, inquam, de his constitutio extat, sed decurtata apud Theodorum Balsamonẽ, integra vero in codice Iuris Græcorum libro secundo Nouellarum constitutionũ Imperatorum, quam ob nimiam, deformem, & execrabilem prolixitatẽ hic describere prætermisimus. consulat ipse Lector, si libet, eximiæ turpitudinis monimentum, sed e Græcorum fontibus per vos tamquã a Solone atque Lycurgo depromptum. quam quidem tot coloratam fucis sanctionem quis ipso primo eius intuitu, meretricio deceptus ornatu, contemnendam esse putarit? Sed mala quæ secum plurima vexit, prudentiorem successorem reddidit Imperatorem. Vtpote quæ primũ quidem auctori suo pepererit clades immensas, parauerit Imperium funestissimum, & tandem eidem attulerit mortem acerbissimam. Sed nec finis malorum in nece promulgatoris, verum quamdiu sanctio illa non sancta, sed impia viguit (quod fuit spacium annorum vigintitrium) vigẽs iugiter ipsa fuerit pestis totius Imperij. quod disertis verbis testatus est, qui eam abrogauit Basilius iunior Imperator, cuius constitutio a Theodoro Balsamone sic breuiter recitatur:

Di-

Diuinitus conſtituta maieſtas noſtra, cum & a monachis, quorum teſtata pietas ac virtus eſt, & ab alijs multis cognouerit, legem a domino Nicephoro vſurpatore Imperij de eccleſijs Dei, religioſisq. domibus latam cum præſentium malorum, tum vniuerſalis huius ſubuerſionis atque confuſionis cauſam & radicem extitiſſe, velut non ad iniuriam, contumeliamq. dumtaxat eccleſiarum & religioſarum domuum, ſed ipſius quoque Dei conditam: cumq. adeo re ipſa ſic comparatum id eſſe compererit (nam ex quo lex iſta robur habuit, nihil boni penitus in hodiernum vſque diem ætatis noſtræ contigit, ſed potius e contrario nullum omnino genus calamitatis intermiſit) ſtatuit per religioſam hanc auream bullam, cui ſubſcripſit, legem illam prius latam ab hoc præſenti die ceſſare debere, ac deinceps irritam, nulliusq. momenti manere: conditis ante ipſam legibus, tam de eccleſijs Dei, quam religioſis domibus vim & robur ſuum obtinentibus, quas & illuſtris auus maieſtatis noſtræ, & pater eiuſdem & abauus optime ac religioſiſſime promulgarunt. Vtq. ſancta & immutabilis eſſet hæc conſtitutio: propria manu ſubnotatam, aureo quoque ſigillo ſubſignari iuſſimus menſe Aprilis, die quarta, Indictione prima, anno ab origine mundi ſex milleſimo quadringenteſimo nonageſimoſexto.] eſt annus Salutis nongenteſimus octogeſimuſeptimus. Audiſtis, maioris fuiſſe auctoritatis apud Imperatorem Baſiliũ aliquot monachos petentes ab eo legis ſacrilegæ abrogationem, quam apud vos ſummã dignitatẽ tanti Pontificis, id ſæpius litteris rogantis, & comminationibus poſtulantis? Toleraturus ergo ne ipſe erat id genus legis veſtræ, quæ etſi non aliunde, ex ſui antiqua origine magnam ſecum afferret infamiã: quam etiam vt omnium malorum fontem ſucceſſor pius Imperator obſtruxit?

Vultis & de his in Occidentalibus oris exemplum audire lugubre, hiſtoriam audire tetram, quanta ſecum attulit damna vna edita ab Imperatore ſanctio aduerſaria eccleſiaſticæ libertati? Audite breuiter, quæ malorum atrocitate longiori ambitu circumducẽda eſſet oratio.

tio. Valentinianus [a] eius nominis nouissimus Imperator, anno Redemptoris quadringentesimo quinquagesimosecundo, vbi post prostratum anno superiori in Gallijs Attilam, legem illam ignominiosissimam tulit, qua ecclesiasticum tribunal penitus tolleretur: mox secundum illud Danielis: [b] Datum est illi robur propter peccata,] eiusdē Attilæ excisa potentia adeo rursum viruit & refloruit, vt eodem anno exciderit Aquileiam, aliasq. Galliæ cisalpinæ nobilissimas ciuitates attriuerit, & nisi obicē passus esset Romanum Pontificem sanctum Leonem, eius semel accensa flamma vniuersa Italia conflagrasset. Ita plane euidenti fuit demonstratum exemplo, nihil aliud fuisse, præscripsisse Imperatorem leges contra ecclesiastica iura, quam hostes erigere iam bello prostratos in exterminium totius Imperij, quod paulo ante fuerat victorijs clarissimis illustratum. Nam & post eamdem latam legem, alijs & his maioribus fuit cladibus labefactatū, Vrbe ipsa a Genserico capta. nec desiere mala, quousque pessima illa, fons malorum omnium, lex permansit. Audistis quæ Oriens, quæ & Occidens clament de sanctionibus aduersus Ecclesiæ iura editis, tunc nimirum ruere Imperium, cum ipsæ vigeant. Et vos qui ex Aquileiæ cineribus orti estis: cauete ne ex eadem causa in cineres reuertamini.

[a] *Nouel. Valēt. tit. 12. de Episc. iudicio 10.*

[b] *Dan. 8.*

Iam transeamus ad aliam legem per vos male sancitam de non relinquendis ecclesijs, vel personis ecclesiasticis bonis immobilibus absque Senatus vestri licentia, cuius causa etiam commeruistis excommunicatione percelli. Ita plane vos estis in ijs secuti eumdem execrandum Nicephorum Imperatorem, in cuius constitutione verba ista legistis: Itaque ab hoc tempore nemini liceat nec fundos, nec agros, nec loca, monasterijs, aut gerocomijs, aut xenonibus quomodocumque transmittere, adeoq. nec alicui metropoli, vel Episcopatui &c.] quā legem vt Imperio damnosissimam, vt audistis, Basilius Imperator summa detestatione penitus abrogauit. Cuius vel tantum originem ostendisse, confutasse est, & abrogationem apposuisse, est exposuisse palam opprobrio. At scimus pariter, & antiquitus

veti-

vetitum legibus Imperatorum, ne quid caperent clerici teſtamento viduarum. Reperitur enim [a] Valentinianus vna cum Valente & Gratiano Imperatoribus ſanxiſſe eiuſmodi legem, ſed tamen non ſine Damaſi Papæ conniuentia, ad cohibendum ſcandalum & auaritiam clericorum, per ſanctum [b] Hieronymum ſæpe declamatam, & per ſanctum Ambroſium [c] deploratã. Sed eam [d] Marcianus Imperator ampliſſime reuocauit, cũ capta Vrbs eſſet a Vandalis, quaſi ob iniquas leges Imperatorum tanta clades ab irato numine inferretur. Illud demum ſic habeto (ne in his diutius immoremur) nullam hactenus promulgatam fuiſſe legem, eamq. publicis tabulis indictam ad communem populi vſum, quæ contra iura Eccleſiæ eſſet, quin fuerit contrarijs legibus abrogata. Stabunt ne veſtræ? cum ſcriptum ſit: [e] Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur?] minime gentium. Vel ſtare non poterunt quæ ædificatæ ſunt ſupra [f] petram leges eccleſiaſticæ, ſuper verbum Domini, ipſo cælo etiam firmiores? ſiquidem ſcriptũ eſt: [g] Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt?] Stabunt, ſtabunt, inquam, [h] verbo Domini conſolidatæ, eo quod nec portæ inferi prævalebunt aduerſus eas. Porro per inferi portas interpretati ſunt plures ſanctorum Patrum, potentiam ſæcularem Principum iniquorum.

a *Lib. 2. de Epiſc. & cler. cod. Theod.*
b *Hier. ep. 2. 3. 22.*
c *Ambr. ep 31. 2. ſerm. 7.*
d *Marcia. Nouell. tit. 5.*
e *Matth. 15.*
f *Luc. 6.*
g *Matth. 24.*
h *Ibid. 16.*

His pro litteris Apoſtolicis præmiſſis, iam veſtras, atque primum illas ad eccleſiarum Præſules a Duce datas inſpiciamus. Quis exiſtimare potuiſſet, tantum Ducem tot tantorumq. beneficiorum recens a Sede Apoſtolica perceptorum adeo profunda teneri potuiſſe obliuione; quorum ſaltem vinculis contineri in officio debuiſſet, ne adeo ab ipſa pertinaciter reſiliret? Recens memoria eſt, cũ vobis oppreſſis tyrãnide Ottomannica, iacturã paſſis inſulæ Cypri, amiſſuris proxime Cretam, inhiante tyranno ad extremã veſtri dominij euerſionem: Sedis Apoſtolicæ Præſul ſanctiſſimus Pius V. ſacro fœdere ſumma potentia in ſumma difficultate diuinitus concinnato, adeo admirandæ victoriæ fuerit auctor, & retinendæ libertatis adiutor. Cuius

erga

ergà vos adeo ingentis impensæ beneficentiæ & munificæ largitatis transierunt onera ad successores, relicta adeo Ecclesia obærata, vt æris alieni dissoluendi reliqua nulla sit spes, oppignoratis redditibus ecclesiarum. Cuius beneficij si memores, si grati (quod & Ethnici faciunt) fuissetis, quæque grauissima ab eadem sancta Sede vobis imposita perpeti potius, quam ab ea auersione schismatica scindi debuissetis. Audite quæ vos immense redarguat vere summo Principe digna ipso Carolo Magno sententia, vna cum alijs sacris legibus promulgata: In memoriã,[a] inquit, B. Petri Apostoli honoremus sanctã Romanam & Apostolicam Sedem, vt quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat ecclesiasticæ magistra rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas. Et licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur iugum: tamen feramus, & pia deuotione toleremus.] hæc ipse. [a] Dist. 19 c. 3.

Dux autem vester, quod ad salutem, non ad interitum promulgatum est in vos de illata excommunicatione decretum; nulla suæ salutis, vel suorum habita ratione, mox contumaciæ plenas, contemptu refertas eas ad Præsules litteras dedit, quarum sola memoria vestra posteritas sit suffundenda pudore. Sed quid erit? iuxta Sapientem: Id quod fuit: [b] Quod & ita scriptum legitur in sacris oraculis: Sedes Ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis: Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantauit mites pro eis ex ipsis gentibus.] Quod fecit, facturus est semper Deus, apud quem nulla est acceptio personarum, vt par pari feriat vindicta delictum, nisi vincens Deum pœnitentia intercedat. Ad quam capessendam vt vos adeo resilientes reddamus procliuiores, prouocandum est ad maiorum exempla, quibus innotescat, quantopere minorum quoque Episcoporum sint reueriti summi Duces vtcumque latas excommunicationis sententias. Tempore Honorij Imperatoris Bonifacius Comes, dux totius exercitus tantæ erat auctoritatis, vt eius tantum nutu vniuersum Imperium contremisceret. Cum esset in Africa, atque Hippone sceleſtissimum hominem confu- [b] Eccls. 10.

gientem ad eccleſiam e liminibus raptum detruſiſſet in carcerem: ſanctus [a] Auguſtinus hæc audiens ad ipſum perbreues mox has litteras dedit, quibus abſque aliqua citatione, vel commonitione præmiſſa, ſententiam excommunicationis intorſit:

[a] Auguſt epiſt. 6. in Appen.

Miror quomodo tam ſubito fidei murum aries ruperit inimici. Noui enim qua religione ſemper ſis Eccleſiam Dei veneratus. Quo inſtigante, frater, hominem de eccleſia rapuiſti? Tuus ſi de tuo amico forte præſumeret fugitiuus, poſſet procul dubio interceſſoris cauſa veniam promereri. Ergo ſi amicus intenditur, cur Deus offenditur? Sed ſi de poteſtate præſumitur, Nabuchodonoſor Regem intende, qui cauſa ſuperbiæ in bouem eſt ex homine commutatus. Non vt confundam te, hæc ſcribo, ſed vt filium meum chariſſimum moneo. Eccleſiæ igitur illæſum reuoca, quem vt irreligioſiſſimum rapuiſti. Oblatio vero domus tuæ a clericis ne ſuſcipiatur, indixi, communionemq. tibi interdico, donec peracta pro auſibus vel errore a me definita tibimet pœnitentia & tempore condonato pro hoc facto corde contrito & humiliato dignum offeras ſacrificium Deo.] hæc ad Bonifacium Comitem Auguſtinus, erectus ad vltionẽ ſceleris vigore ſacerdotali. Quid ad hæc reſpondiſſe putas tantum Comitem, ducem exercitus, ſic ab Auguſtino flagris cẽſuræ eccleſiaſticæ verberatum? Audi redditam ad eum epiſtolã his ipſis verbis:

Humilis ſaluto, quod primum eſt. Suſcepi autem tremens ſanctitatis tuæ verba verberibus plena. Scio quod veniæ præparatur, qui ab Auguſtino perfectiſſimo ſacerdote corripitur: nec debet Epiſcopo denegare quod voluntas facit aut caſus. Ipſe enim ſibi denegat curam, qui ſuam medico non publicat cauſam. Hominem ergo, pijſſime Pater, e liminibus eccleſiæ raptum tuis ſanctis aſpectibus iuſſio mea, furorq. ſubduxit. Alieno non ſunt facta iſta conſilio, Dei & Sanctorum eius regimine viuo. Illum itaque virum morte digniſſimum, quem (vt dixi) meus de eccleſiæ foribus furor abſtraxit, vitæ tuis iuſſionibus donamus illæſum. Agnoſco culpas, indignæ meæ lacrymæ

iun-

iungantur tuis fletibus iustis, quo possit hæc nota, nigro inscripta titione, deleri. Ecclesiæ mihi introitus non negetur: illic spero veniam, vbi admisi culpam. Oblatio vero domus meæ (vt tua sanctitas iussit) ad cælestis Regis mensam eius manibus offeretur.] hæc Bonifacius, deferens in omnibus sacerdoti; sicut & Stylico sancto Ambrosio, æque petenti reddi sibi delinquentem ab altari euulsum Cresconium, qui timore percitus ob vindictam militibus diuinitus illatam, qui suo iussu sacrilegium perpetrarant, per multos dies per pœnitentiam (vt [a] Paulinus ait) eidem sancto Episcopo satisfaciendum curauit. Addimus his & tertium exemplum de Andronico Præside Pentapolis in Aegypto, qui eo quod suum edictum conuiciis plenum in ecclesia suspendisset, a Synesio Ptolemaidis Episcopo, collecta ibi Synodo, nulla præuia citatione commonitus, terribili anathematis sententia perculsus & magistratu abdicatus, magna animi submissione pœnitentia præuia admitti ab Ecclesia, a qua exclusus fuerat, multum rogauit. hæcq. cum Arcadius imperaret in Oriente.

[a] *Paulin in vita S. Ambros.*

At quid ex plurimis paucos memorem clarissimos præfectos prouinciarum, cum & ipsi Imperatores & Reges magnam inde sibi gloriam compararunt, quod a pontificibus perculsi sententia anathematis, haud contumaces sunt eisdem aduersati, sed obsequentes eorum mandatis, vt ex qua pulsi erant, in ecclesiam admitterentur, nihil prætermiserunt humilitatis officij, atque pœnitentiæ impositæ disciplinæ; vt qui primus inter eos initiatus est Christiana religione [b] Philippus Augustus, Theodosius Imperator, & post alios multos, quos breuitatis causa prætermittimus recensere, qui apud vos veniam ab Alexandro Papa humili obsequio promeruit Fridericus. vnde summam peperit sibi laudem, & conciliauit honorem. Sicut e contra illi ingentem contraxerunt infamiam, & ignominiosum adepti sunt nomen schismaticum, aut hæreticum, qui contra stimulum calcitrantes, reluctati sunt disciplinæ, exulantes ab Ecclesia, redditi etiam cælestis gloriæ exheredes, excusantes excusationes in peccatis, & reijcientes culpam in Pon-

[b] *Euseb. hist. lib. 6. c. 27.*

tificis auſteritatem: vt feciſſe reperitur,& ſuis ipſe Dux veſter teſtatus eſt litteris.

Quibus quidem primum de S.D.N. vehementer expoſtulãs queritur, quod miſſus ad eum a ſe Legatus ipſius aures reperijſſet occluſas. At quid? Num quia exauditus non eſt,auditus non fuit? Hoc certe nemo negarit,cũ alioquin nec audiri meruerit, qui non obediturus aduenerat, ſed contradicturus Pontifici, vt exitus declarauit, ſecundũ illud Oſee: [a] Vnuſquiſque non iudicet, & non arguatur vir: populus enim tuus ſicut hi, qui contradicunt ſacerdoti,] profundum id malorum eſſe ſignificans, cum non obeditur, ſed contradicitur ſacerdoti. vbi in eamdem ſententiam ſanctus Hieronymus: [b] Nunc quia in ſceleribus perſeuerant, & impudenti Deum fronte contemnunt, audiunt: Non eſt neceſſe,vt veniatis ad iudicium,vt in veſtris flagitijs arguamini; quia tantæ eſtis impudentiæ, vt nec conuicti quidem pudorem habeatis & verecundiam.] hæc & alia ſanctus Hieronymus. Secundum iſta & [c] Nicolaus ſanctiſſimus Pontifex prohibuit Lothariũ Regem venire Romam ad dicendam cauſam, vt quod non mereretur audiri, qui hactenus ſæpe monitus, mandatis pontificijs obedire cõtempſiſſet,licet promiſiſſet ſæpius, ſe omnibus præceptis pontificijs pariturum. Nam in epiſtola ipſius [d] Nicolai ad Ludouicum & Carolum Francorum Reges hæc poſt multa: Ipſe quidem Lotharius nobis & vobis per Imperiales Legatos mandauit, quod Romam vellet venire. Cui interdiximus & omnino interdicimus,vt iter talis,qualis nunc eſt, non arripiat, eo quod S.R.E. talem reſpuat, & contemnat,& in hoc perſeueret, quod late in toto diffuſum eſt orbe.] quod ſcilicet vxore abiecta, pellicem introduxit. At quid æquius videri poſſet,quã ſi Rex reus ſuam præſentiã iudici exhiberet? Sed quia admonitionibus pontificijs nõ obtemperaſſet: reijcitur, vt indignus,qui ſe conferat audiendus ad Apoſtolicum thronum. ſubdit demũ: Quod ſi, inquit, contra propoſitum noſtrum forte præſumpſerit venire Romam: minime cum qua cupit honeſtate vel hic ſuſcipietur, vel hinc profecto regredietur.]

[a] Oſeè 4.

[b] Hiero.in Oſe. c.4.

[c] Nicol. ep.27. & 55.

[d] Idem ep.9.

Quid

Quid igitur expoſtulat Dux miſſum a ſe Legatum occluſas reperiſſe Pontificis aures, cum ob ſpretas tot antea præcedentes admonitiones eiuſdem ſummi Pontificis, nec ipſe Dux, exemplo Lotharij Regis, admitti debuiſſet in Vrbẽ, ne dum ad ipſius Pontificis audientiam? Ita quidem, ſi tanti prædeceſſoris exemplo ſanctitate atque ſcientia eminentiſſimi res tractanda fuiſſet: vt nihil ſit penitus, quod queri poſſitis, etiam ſi Legatus veſter nullatenus fuiſſet auditus. Vel ſi agendum fuiſſet exemplo Alexandri Tertij Romani Pontificis, qui Legatos Regis Angliæ miſſos, excuſaturos Regem ipſum, quod mandatum non dediſſet de inferenda nece ſancto Thomæ Cantuarienſi Archiepiſcopo (quod reuera non fecerat) negatus eſt tamen illis ab ipſo Papa auditus, quouſque iuratoria cautione adhibita ex parte Regis promiſiſſent, Regem ipſum omni obſeruantia & obedientia ſubiturum iudicium in omnibus Apoſtolicæ Sedis, eiuſdemq. in omnibus ſententiæ pariturum. Qua ratione neque veſter Legatus admitti debuiſſet ad audientiam, quem ſciret Pontifex non ad parendum, & iurandum obedientiam, ſed ad refragandum, & contradicendum a vobis miſſum fuiſſe.

Quoniam vero peculiare eſt malis Principibus, qui Apoſtolicæ Sedis iudicium vitare conantur, aliquid excipere, quo vel ſaltem contemptum pariant iudicãti, vt illud maxime, quod nimia celeritate præcipitauerit ſententiam, potius quam ex præſcripto canonum ſeruato ordine iudiciario, tulerit. Fuit olim iſta querela Michaelis Imperatoris aduerſus eumdem, de quo ſupra, Nicolaum Pontificem; qui redarguens ipſum oſtendit, ſatis eſſe, abſque aliquo ſeruato iuris ordine ſummo Pontifici, ſi quomodocumque rem compertam habuerit, & quomodolibet delinquentes Principes commonuerit; & ſi non parerent, abſque alio ordine iudiciario in contemptores vel contumaces excommunicationis ſententiam ferat: idq. factitari ſolitum ab ipſis, ſi quid aduerſus Principes emerſerit contentionis. Adeo vt nulla poſſit legitima eſſe querela aduerſus S.D.N. Paulum Quintum, qui in eos commonendo multus fuerit, & nihil

om-

omnino profecerit. His itaque dilutis obiectionibus, iam quæ poſt hæc in ijſdem Ducis litteris ad Præſules ſubijciantur, videamus.

Sunt plane huiuſmodi, quod ab exordio naſcẽtis Eccleſiæ ab his, qui ſe Catholicos profiterentur, contumaciores eſſe datas nullus inueniet. quippe quæ acerbiſſimo ſint refertæ contemptu. Sed quæ in execrabiles contemptores Paulus [a] Apoſtolus ingerat, & vos pertingant, audite: Videte, inquit, ne ſuperueniat vobis quod dictum eſt in Prophetis: Videte contemptores, & admiramini, & diſperdimini, quia opus operor ego in diebus veſtris, opus quod non credetis, ſi quis narrauerit vobis.] Nempe quod deſinetis eſſe quod eſtis, dum male quæritis eſſe ſuper Eccleſiam, quod efficere non poteſtis. De vobis namque eadem pertractantibus illud diuinitus ſcriptum oraculum eſſe ſciatis: Qui [b] habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.] hi namque, vti vos, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius, nempe præſidentes ipſis ſacerdotes illa dicebant: Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus a nobis iugum ipſorum.]

a *Act.* 13.

b *Pſal.* 2.

Quid aduerſus ſummum ſacerdotem ſibi arrogat quiſque quantumlibet ſummus Princeps? Etenim cum reuera laicus tantum ſit, ouis eſt ex grege Petri, ſeu potius ouis fœtus. Siquidem quod Chriſtus dixit [c] ad Petrum: Paſce oues, paſce agnos: per oues rectores eccleſiarũ interpretati ſunt Patres, per agnos ex eis in Chriſto genitos reliquos Chriſtianos. Audi compellantem te [d] (quiſquis es tranſgrediens terminos tuos) Apoſtolum Paulum, & dominium tuum iuſtis limitibus adeo coarctantem, vt extra eos qui ſunt tibi ſubditi, nullam in reliquis te habere ſentias poteſtatem, vt eos iudices. Tu quis es, inquit, qui iudicas alienum ſeruum? domino ſuo ſtat, aut cadit.] Si alieni ſerui abripitur tibi Apoſtolica denuntiatione iudicium: quomodo præſumere poteris alterius fori non tibi ſubiectum ſaltem iudicare clericulum? quomodo diaconum, vel ſacerdotem? quomodo Epiſcopum? & (quod horrendum dictu) quomodo tua ſententia condemnabis, & non horreſces Archiepi-

c *Ioan.* 21.

d *Rom.* 14.

chiepiſcoporum,vel Patriarcharum ſententias iudicare; ac denique ([a] quod & monſtrum atque portentum Luciferi eſt) dices: In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum,iudicabo iudicia Chriſti Vicarij, latas ab ipſo ſententias nullas eſſe propria denuntians auctoritate definiam;quod & feciſti. Sed ſic eleuatus certum caſum expaueſce, qui ſubditur: Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci,] adeo vt magno te ſcias periculo, ſicut magno piaculo diuina tentaſſe, tribunalq. illud diuinitus conſtitutum ſuper cælum exaltatum, eius retractando ſententiã peruaſiſſe. Sed audi te abſterrentem Apoſtolum: [b] Neſcitis, quia Angelos iudicabimus: quanto magis ſæcularia?] Venerandum quod eſt Angelis,quomodo Principibus non reuerendum, quod contempſiſti tribunal, & contumelijs affeciſti? Danielis [c] thronum circumſtabant Angeli vindices: Petri Cathedram deſeret cuſtodia Angelorũ vlciſcentium quidquid peccatur in eam?

Sed nulla grauior pœna peccati ipſo peccato, quo & nullum grauius impietate,quam parit contemptus,& alit. Nam audi ſanctum martyrem [d] Cyprianum, vbi redarguit diaconum contemnentem Epiſcopum: Hæc ſunt, inquit, initia hæreticorum, ortus atque conatus ſchiſmaticorum, male cogitantium, vt ſibi placeant, vt præpoſitum ſuperbo tumore contemnant. Sic de Eccleſia reciditur,ſic altare profanum foris collocatur, ſic contra pacem Chriſti & ordinationẽ,atque vnitatem Dei rebellatur.] porta igitur eſt hæc, quam aperit falſa iuſtitia, ex qua progreſſus patet in hæreſes ex contemptu, de quo alibi: [e] Inde enim ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur, dum Epiſcopus,qui vnus eſt, & eccleſiæ præeſt, ſuperba quorumdam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur. Quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor, quæ arrogantia animi? &c.]

Sed quantum te deſerat,& procul abhorreat iuſtitia quã præſumis, vt omnes intelligant, quæ ſunt abs te poſita contra ſententiam Apoſtolicæ Sedis, hic reddamus: Ais in primis, contra omnem rationis formam litteras Apoſtolicas

a Iſai. 14.

b 1. Cor. 6.

c Dan. 13.

d Cyprian. epiſt. 65.

e Idem ep. 69.

ſtolicas eſſe conceptas,& aduerſus id quod diuina Scriptura, Patrum doctrina, & ſacri canones docent eſſe conſcriptas. Sententiam vero excommunicationis ijſdem Apoſtolicis litteris promulgatam, non ſolum iniuſtam eſſe, & indebitam, ſed etiam nullam, nulliusq. momenti illegitimè fulminatam, nullo iuris ordine ſeruato.] iſta leguntur in illis totidem verbis expreſſa. ſed ſingula percurramus. Contra omnem rationis formam, & ſcita ſacrarum legum litteras aduerſus vos ab Apoſtolica Sede datas affirmas. Hic cogimur inuiti in memoriam reuocare, quæ per vos & veſtros miniſtros perperam perpetrata, diu multumq. diſſimulata ſunt ab Apoſtolica Sede; deplorata tamen ſemper, dum nulla penitus emendatio ſequeretur: quæ, ſi ex ſacrorum præſcripto canonum res agendæ fuiſſent, guttas pluuiæ fulmina anathematis ſuperaſſent. Quot vidimus Romæ miſeros exulantes Epiſcopos, vobis ſubditis ciuitatibus præfectos, dira perſecutione vexatos, cum obrutam reuocare in lucem tentarent eccleſiaſticam libertatem? Quot clericorum inferioris ordinis perlatæ ſunt iugiter querelæ, de foro eccleſiaſtico intercepto, & expilatis bonis eccleſiarum, ſublatis iuribus, inuaſis eccleſijs, violato ſacro aſylo frequenter? Qui annuntiatus frequentior Apoſtolicarum litterarum contemptus, ipſius vero in primis Bullæ in Cœna Domini promulgari ſolitæ violatio, & cum violatione deſpectio? Prætermittimus verba contumelioſa, falſa dicteria, arguta ſcommata, irriſiones & inuectiuas, quibus iugiter exagitare conſueuerunt veſtri S.R.E. Clerum, iſthæc iugiter perpeti aſſuetum, non parcentes ei, qui Chriſti loco, ipſius voluntate, primarium thronum obtinet, ſummo Pontifici: vt pudeat nos iſta referre, quæ vos inferre delectet. Hæc & alia id genus plurima ſæpe ingeſta, & audita frequenter ſunt pacifice, & æquo animo adeo tolerata a prædeceſſoribus clemẽtiſſimis, vt ipſis iam ſua ipſorum patientia verteretur opprobrio, cum a nonnullis aduerſus eos zelo Dei æſtuantibus illud Dominicum iactaretur:[a] Simon dormis? Attamen paſſi ſunt potius inſimulari torporis, quam periclitari in Sede Apoſtolica to-

[a] *Marc.14.*

leran-

lerantiam: expectans cum [a] Apostolo, si quando daret vobis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscentiam a laqueis diaboli.] Vbi vero cognitum est, etiam firmitate legum per vos vestra obfirmata esse peccata: haud amplius tolerantiæ tempus visum est, sed diuisionis & combustionis, dicente messoribus patrefamilias illud Euangelicum: [b] Colligite zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.] [a] 2. Tim. 2. [b] Matth. 13.

Hic perpendite, an contra omnem rationis formam (quod obtenditis) diuinamq. Scripturam, ac doctrinam Patrum, & sacros canones custos sacrarum legum Romanus Pontifex, post diu dissimulatum patientiæ somnum, tandem vindex euigilauerit: cum eidem omnes militent rationes, diuina aspirent oracula, Patres faueant, consentiant sacri canones, quorum vos omnium contemptores, omni destituti sacrarum legum præsidio, in illud absurdum impegistis, dixerim & monstruosum, vtpote hactenus a Catholicis intentatum, a schismaticis tantummodo, & ab hæreticis vsurpatum, vt laici cum sitis (quod neque sibi Episcopi in Concilijs arrogarunt) pronuntiare audeatis, ipsam in vos promulgatam excommunicationis sententiam a summo Pontifice esse iniustam, indebitam, nulliusq. momenti, atque illegitimam, vtpote (quod subijcitis) nullo seruato iuris ordine latam. Vnde tanta vobis auctoritas, vt iudicetis Iudicem vniuersorum, quem nullum hactenus Concilium legitime congregatũ ausum est iudicare, cum ab eo omnia œcumenica Concilia accepere auctoritatem, vt absque eius sententia ipsa nec œcumenica dici, aut indici potuerint; nec in eis sanciti canones alicuius fuerint firmitatis, in quibus & frequenter sit conclamatum: Prima Sedes a nemine iudicatur: & Pontifici dictum: Tua te sententia purga, vel damna?] Ista cum fuerint hactenus summa religione custodita: quomodo laici hominis sententia labefactantur, ac penitus infringuntur?

Quis audiens ista, non cum [c] Ezechia mox illud exclamet: Blasphemiæ dies hæc?] & sicut ille [d] Rabsacis litteras impias attulit in templum, & expandit eas coram [c] Isai. 37. [d] 4. Reg. 19. 2. Paral. 32.

Domino: ita quicumque fidelis, in cuius manus eædem ipſius Ducis litteræ cõtumaces atque proteruæ peruenerint; legeritq. horrendas blaſphemias effuſas in contumeliam Apoſtolicæ Sedis, & contemptum eius, qui in ea a Chriſto per Spiritum ſanctum magno miraculo poſitus ſedet Petri ſucceſſor, Chriſti Vicarius Paulus V. inferat eas in baſilicam Petri, admoueat Confeſſioni ipſius, ibidemq. expandens eas, illatam tantam contumeliam eius Cathedræ clamet, & deploret iniurias, ipſumq. inuocet ſuæ ipſius, quam a Chriſto regendam accepit, Eccleſiæ defenſorem? vltores inſuper appellet ſanctiſſimos conditores canonum, & defenſores ipſorum Eccleſiæ Romanæ Pontifices, & Sanctos omnes, in quorum omnium deſpectum præſumpta tanta abs te eſſe noſcuntur? Qui cum adeo contempſeris thronum, in quo habita ratione connexionis membrorum cum capite, ipſe Chriſtus inſedit: noueris ſummo damno tuo in petram impegiſſe; de qua primum ſit dictum in Pſal-

a *Pſal.* 140. mo: [a] Abſorpti ſunt iuncti petræ Iudices eorum.] & a Do-

b *Matth.* 21. mino de eadem: [b] Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur; ſuper quem vero ceciderit, conteret eum,] ea nimirum confractione atque contritione, de qua iam dixerat ibidem verbis illis apertiſſimis: Auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius.] Petra autem ipſa, quouis impetu agitetur, verbo Domini confirmata, nullam ſit vmquam paſſura iacturam. Vera ne ſint iſta, periodus millenorum ac ſexcentorum annorum Chriſti regnantis edocet, qua innumeris impetita contrarijs petra iſta, ferro, & igne tentata ſæpiſſime, nullam ipſa ſenſerit, ſed plurimam intulerit laceſſentibus læſionem.

Quomodo autẽ auſus es pronuntiare illegitimam, iniuſtam, ac dicere excommunicationẽ eſſe nullam, quæ auctoritate non caruerit pronuntiãtis, cui nec alia neceſſaria defuerint ad actum legitimũ conducentia: vnde omnes iſtæ tuæ de nullitate exceptiones neceſſe ſit euaneſcere? cum inducatur pariter neceſſario ex præmiſſis, nullo pacto dici poſſe eamdem eſſe ſententiam excommunicationis nullã vel iniuſtam, ſed omnibus eſſe conſentientem Eccleſiæ iu-

ribus,

ribus,& exemplis: quã neque indebitam (vt inique asseris) illegitimamve (vel vt male infers) aut nullius esse momẽti (vt manifestissime erras) asserere quisquam poterit, nisi cui Fides Catholica male oleat, & sit Primatus ipse Petri contemptui, existimetq. cum hæreticis recentioribus,Romanæ Ecclesiæ priuilegia non esse a Christo, sed ab Imperatoribus, cũ Patres & sanctissimi martyres,[a] Irenæus, & [b] Cyprianus, qui [c] Fabiani locum, Petri locum appellat, [d] Optatus Milleuitanus, sanctus [e] Hieronymus,sanctus [f] Augustinus, Fulgentius, sanctus [g] Leo Magnus, Gelasius, [h] Ioannes Papa & martyr in epistola ad Iustinianum, Vigilius ad eumdem, [i] Gregorius Magnus,& denique omnes, quorum fastidio est immensum numerum recensere, omnes inquam tam Occidentales, quam Orientales confessi sint Patres, auctoritatem a Christo acceptam ad Romanos Pontifices per Petrum esse transfusam: eorumdemq. omnium vna eademq. sit sententia, Primatum Romanæ Ecclesiæ per Petrum a Christo descendere. Vnde omnes semper negarint ipsi Romani Pontifices,præsertim vero Gelasius,Bonifacius, Nicolaus, & alij posteriores,neque per Synodos, neque per Imperatores Romanam Ecclesiam esse, quod est, caput omnium ecclesiarum, & super omnes auctoritate pollentem; sed tantum Christi promissione,quod & omnes sunt professi successores ipsius, ac denique omnes, quotquot nomen Catholicum meruerunt: vt ista negasse, sit omnino ab Ecclesia Catholica exulasse, & cum hæreticis Nouatoribus collegisse; quorum mentis obtusæ argumenta repereris abundanter in Annalibus Ecclesiasticis confutata.

[a] *Iren.lib.3.c.2*
[b] *Cyprian. de vnit.Eccl.*
[c] *Idem ep. 52.*
[d] *Optat.contra Par.lib.2.*
[e] *Hier. ep. 57. 53. 85.*
[f] *Aug. ep. 165. & cõtr.ep.Mar. c.4.& contr.partes Donati.*
[g] *Leo ep. 455. 89 & in homilijs frequenter.*
[h] *l. 8. de sum. Trinit. & Fide Cath.*
[i] *Greg Mag.lib. 4. ep.32.*

Christi igitur priuilegio roborato Petri Apostolatu, eadẽ promissione vniuersa eiusdẽ est roborata successio, de qua ad Anastasium Imperatorem Gelasius post alia, de ijsdem dignissime sicut iustissime prædicata: Impeti, inquit, possunt humanis præsumptionibus quæ diuina sunt iudicio constituta, vinci tamẽ quarumlibet potestate nõ possunt.] præfatus hæc antea: Et si cunctis generaliter sacerdotibus, & recte diuina tractantibus Fidelium conuenit corda sub-

mitti: quanto potius Sedis illius Præſuli conſenſus eſt adhibendus, quem cunctis ſacerdotibus Diuinitas ſumma voluit præeminere?] Cuius deſpectus quanti ſit criminis, inde inferas, quod etiam minimorum Epiſcoporum, cenſuris eccleſiaſticis rem agentiũ contemptus, ſic afficit contemptores, vt indignos eos reddat ipſo nomine Chriſtiano. Nã accipe, quæ [a] Gregorius Magnus ait, quem & citat [b] Nicolaus Papa: Si vero ſunt, qui dicunt, quia compulſus quiſpiam neceſſitate, ſi anathematizatus fuerit, anathematis vinculo non tenetur: ipſi ſibi teſtes ſunt, quia Chriſtiani non ſunt, quia ligamenta ſanctæ Eccleſiæ varijs exiſtimant conatibus ſoluere &c.] Quod ſi obtentus neceſſitatis nec ſufficit, vt quis inualidam, vel nullam fuiſſe excommunicationem dicere poſſit, quo eam contemnat: vtique multo minus ſi iniuſta fuerit, ſponte ſua contemnere aliquis debet.

[a] *Greg. lib. 9. ep. 39. prope fin.*
[b] *Nicol. ep. 9.*

Eſt plane vulgata illa Scriptorum omniũ recepta ſententia, excommunicationem ſiue iuſtam ſiue iniuſtam eſſe timendam, ac minime contemnendam: quod velut firmiſſimum axioma eccleſiaſtica cuſtodiuit antiquitas. Vt quod iam ab omnibus vbique & ſemper probari poſſit aſſertum, nulla prorſus habenda ſit ratio, ſi quiuis magni nominis homo his quidpiam contrarium viſus ſit aſſeruiſſe: quem penitus contemnendum eſſe, his verbis docet [c] Vincentius Lirinenſis magnæ exiſtimationis antiquus Theologus, dicens: Ille eſt verus & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Eccleſiam, qui Chriſti Corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicæ Fidei nihil præponit, non hominis cuiuſpiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, ſed hæc omnia cuncta deſpiciens, & in Fide fixus & ſtabilis permanens, quidquid vniuerſaliter antiquitus Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognouerit, id ſolum ſibi tenendum, credendumq. decernit: quidquid vero ab aliquo deinceps vno præter omnes, vel contra omnes Sanctos nouum & inauditum ſubindici ſenſerit: id non ad religionem, ſed ad tentationem potius intelligat pertinere.]

[c] *Vinc. Lirin. contra hæret. 15.*

Via

Via hæc regia; ambulandum per eam: declinans vero per contemptum ad dexteram, vel siniſtram, magnam ſibi, in quam incidat, foueam parat. Inobedientia enim pariens contemptum, reatum contrahit quouis alio grauiorem: ſiquidem diuina Scriptura teſtatur: [a] Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.] Contra vero ſumma eſt laude digna ſimplicitas iuſti, qui timens culpam, vbi non eſt culpa, innocentiam integram ſeruat, & gratiam auget. Hinc laudatur pietas Theodoſij iunioris Auguſti, qui non iniuſtam tantum, ſed quæ nulla penitus erat, vtpote excommunicatio lata ab homine petulante, cuius nulla erat prorſus excommunicandi auctoritas, ita exhorruit, vt neque cibum ſumere vmquam ſuſtinuerit, quouſque ab eodem, a quo eiuſmodi nulla excommunicatio progreſſa eſſet, benedictionem conſequeretur. Sed audi breuem ipſam hiſtoriã memoria dignam, quam [b] Theodoretus recitat his verbis: Vir quidam excolẽs vitam monaſticã, animo paulo audaciore præditus ad Imperatorem rei cuiuſdam petendæ gratia accedit. Quod cum ſæpius feciſſet, Imperatori eccleſiaſtica interdicit communione, vinculoq. Eccleſiæ ei iniecto decedit. Imperator autem fide cum primis excellens, ad palatium veniens, cum tempus inſtaret conuiuij, & omnes conuiuæ adeſſent, dixit ſe non prius capturum cibum, quam Eccleſiæ vinculo ſolueretur. Proinde vnus ex familiariſſimis ad Epiſcopum mittit, vt poteſtatem faciat ei, qui ipſum ligauerat, vinculo ſoluendi. Cum autem Epiſcopus reſpondiſſet, non debere cuiuſque vinculum admittere, ſignificaſſetq. eum ſolutum eſſe: non tamen ſolutione illa contentus fuit, donec ille, qui eum ligauerat, magno cum labore conquiſitus, communioni illum reſtituiſſet. huiuſmodi erat Imperatoris erga leges diuinas fides.] hactenus Theodoretus, & quidem factum repræſentans laude digniſſimum. ſiquidem totum impenſum eſt pietati, quidquid ex nimia ſcrupuloſitate videri poterat eſſe progreſſum. Odoratus eſt autem in ſacrificio Dominus odorem ſuauitatis, qui pro ipſo aduerſus barbaros

[a] 1. Reg. 15.

[b] Theod. hiſt. lib. 5. c. 37.

atque

atque tyrannos pugnans, ipſi integrum atque floridum conſeruauit Imperium, atque feliciter propagauit. At iam, quod ad Ducis litteras ſpectat, ſatis.

Quod autem pertinet ad litteras Senatus, contra eamdem excommunicationem publice datas ad populum: quod in eodem argumento verſentur, eadem remaneant confutatæ reſponſione. Ceterum ſimillimum plane id genus litterarum eſſe ſcias illi, quod male vſurpatum a Michaele Imperatore, a Nicolao [a] ſummo Pontifice ita deſcribitur, & condemnatur: Tantis erat epiſtola verbis contumelioſis, immo blaſphemijs reſperſa, vt ſcriptor eius non niſi in gutture colubri calamum tinxiſſe putetur, & dictatoris labia pro dictionibus venena fudiſſe videantur. adeo vt ſi cuiuſpiam ſimpliciorum cor penetrent (non enim hæc aures prudentium ſuſcipiunt) hunc continuo necent, nimirum tanto miſerabilius, quanto mors animæ magis quam corporis per illum virulentum hauſtum admittitur.] Ex quibus vt aliqua promamus, ac ſimul promendo eadem confutemus antidoto, necando, quod poſſit necare, venenum: habetur in eis in primis quod mordeat Clerum, & ſugillet pios, nimirum querela, quod (vt aiunt) ſagacitate eccleſiaſticorum, & ſimplicitate piorum, quarta iam pars eſſet alienata Veneti dominij bonorum immobilium. Sententiam plane dignam non religioſiſſimo veſtro Senatu Veneto, ſed Anglicano conuentu, qui apud vos eſt, vbi in odium Catholicorum Fidelium eiuſmodi ſolent effutiri dicteria. Vnde dicere cogar: [b] Anathema in medio tui eſt Iſrael.] nec eſt quod parere aliquid boni poſſit, immo nō eſt malum, quod ex ea malorū fecunda propagine germinari non valeat. Quis aliquando orthodoxorum detraxit concionatori, ſuadenti Fidelibus eleemoſynas frequentare? Manichæum hunc fuiſſe oportuit, eiuſmodi impietate reſperſum, qui nolit, ſuaderi debere Fidelibus, quod diuinis Scripturis faciendum, frequentioribus ſententijs ſermo diuinus inculcat. Sed & quis Catholicorum inuentus hactenus, qui bona ſua erogantes ſiue in reſtitutionem collabentium eccleſiarum, ſiue in ædituorū alimo-

[a] Nicol. ep. 9.

[b] Ioſ. 7.

alimoniam,quod factum liquet a quamplurimis viris sanctis,hos,vt vos,simplices nominarit,quos [a] Redemptor noster,eo quod negotiari vtiliter scirent,prudētes appellat? vt qui didicerint pecunia traiecticia cælū emere,& redimere temporarijs æternitatem,& [b] transferre thesauros in cælos,vbi neque ærugo,neque tinea demolitur, atque facere sibi [c] amicos de mammona iniquitatis, a quibus in æterna tabernacula recipiantur. Quibus & competat nomen non adulterinæ, sed veræ simplicitatis,qua Iob [d] simplex & rectus,ac timens Deum laudatur,& [e] Daniel,quod in simplicitate sua liberatus est de ore leonum; & Pauli [f] Apostoli admonitione doceamur dicētis:Qui tribuit,tribuat in simplicitate. Sancta plane simplicitas, non quæ penes vos sonat fatuitatem,qua sugillatis omnes, qui bona sua reliquerunt ecclesijs: qua contumelia suo damno Mauritius Imperator sanctum Gregorium legitur perstrinxisse.

a *Matth.* 24. *Luc.* 12.
b *Matth.* 6. *Marc.* 10. *Luc.* 12. & 18.
c *Idem.* 16.
d *Iob* 1.
e *Mach.* 2.
f *Rom.* 12.

Addis insuper de viris ecclesiasticis, quod otiose fruantur bonis ecclesiarum, partis populi totius sudoribus: sed cum neminem excipiatis,cum sint ex ijs complures, quos certum est digne in Euangelio laborare, ad Deum pro populo puras leuare manus; satis apparet, oculum [g] esse nequam, ante quem totum corpus appareat tenebrosum, cum nec intueri possit, nec distinguere filios lucis a filijs tenebrarum. Sed pœniteat vos hac in re esse imitatos Iulianum Apostatam, qui ijsdem incessebat calumnijs seruos Dei; qui & sicut est ipse Deum expertus vltorem,vos pariter sentietis execrandi sceleris vindicem: qui lædentibus seruos suos acerbissime comminatus est,dicens: [h] Qui tetigerit vos,tangit pupillam oculi mei.] Sed hæc leuissima sunt,& nullius fere momenti respectu eorum,quæ mox inferius aduersus omnes ecclesiasticos euomuistis, quæ & si vera fuissent, vestris publicis litteris nequaquam spargenda erant in vulgus, sed omni reuerentia contegenda, cum noueritis filios Noe [i] retrorsum incedentes, & cautè obtegentes verenda patris, benedictionem esse consecutos; Cham autem perpetuo maledictum. cuius vos exemplum sectatos par pœna condemnet, nisi vera pœnitentia

g *Matth.* 6.
h *Zach.* 2.
i *Genes.* 9.

cri-

crimen diluat, quod faciendum hortamur.

Quod ſi vos adeo ſeueri exactores, paucorum delicta conuertitis in vniuerſos; plane grauiſſime inde peccatis, cum vno faſce iuſtos comprehendatis cum iniuſtis, eoſdemq. pari affectos ignominia pari cenſeatis dignos eſſe ſupplicio: vt omnes quidem in vos exclament tantæ arbitros iniquitatis. Si vero adeo ſancti videri vultis, vt pati non poſſitis quempiam eccleſiaſticorum extra diſciplinã ſacrorum canonum euagari: laudarem zelum, ſi eſſet ſecundum ſcientiam, quæ docet naturæ exemplis, admixta ſegeti zizania creſcere, & donec ventiletur, grano paleam eſſe commixtam, monetq. ex alijs innumeris Scripturæ diuinæ ſententijs, & quod potiſſimum eſt, docet exemplo Chriſti ſummæ Sapientiæ Patris, qui in numero duodecim Apoſtolorum paſſus eſt vnum ex ijs furem eſſe, & proditorem, atque ſacrilegum, inſigniorem ceteris peccatorem, qui fuerint aliquando, vel in æternum futuri eſſent: ne quis adeo miraretur, vel ſcandalum pateretur, ſi forte contingeret in eius Eccleſia quemlibet duodecimum ſacrorum miniſtrorum inſtar Iudæ reperiri omnium ſceleſtiſſimum; quod abſit, vt poſſit aſſerere quiſpiam. Sed & ſi vere abſque calumnia diceretur: ad Chriſti exemplum, quo tuto contineremur aſylo, eſſet legitime prouocandum. Non tamen iſta dicimus, vt eiuſmodi delinquentes ſaluos eſſe velimus, ſed acerrime puniri per ſuos iudices, veſtros conciues, præfectos eccleſijs ſub veſtro dominio conſtitutos Epiſcopos, ad hoc ab ipſis Romanæ Eccleſiæ Pontificibus veſtrates electos, vt cum non per alienos, ſed per vosmet ipſos cuncta adminiſtrari videretis, ſineretis cuicumque foro iura habenti diſtincta, eidem eſſe ſalua.

Sed his omiſſis, iam illæ ipſæ litteræ, quibus adeo multipliciter & enormiter peccatum eſt, tamquam e portis inferis proditæ, in vltionem expanſæ ad Petri Confeſſionem, in obliuionem perpetuo ſilentio complicatæ, ſciſſæ in redargutionem audaciſſimæ ſciſſionis, vti mendaces & contumaces, calumnioſæ atque proteruæ, quibus ita ignominioſe Romanam Eccleſiam impetiſtis: eamdem excipiant

piant digne sententiam, qua his similes litteras Michaelis Imperatoris blasphemas & calumnioſas Nicolaus [a] Pontifex condemnauit igni tradendas, his pronuntiatam ab ipso verbis: Decernentibus nobiscum & simul * considerantibus ijsdem sanctissimis fratribus & Coepiscopis nostris, ipsam epistolam (seu potius ipsas epistolas) in stipite videntibus cunctis suspensas, vasto suppositio foco, ad vituperium vestrum coram omnibus nationibus, quæ penes Memoriam sancti Petri multiplices inueniuntur, extremæ perditioni donabimus. Quatenus his rite patratis, discat pius quod amet, & crudelis quod timeat.] hæc Nicolaus. quæ & facta sunt sub eiusdem Nicolai Pontificis successore Hadriano Pontifice tam de litteris Imperatoris, quam de Photij Patriarchæ. Maneat ergo suo robore constans sententia Nicolai, qua in contumaces & calumnioſas litteras Michaelis Imperatoris est iudicatum, & præiudicatum in vestras illis similes, & alias quascumque eiusdem generis litteras contigerit exarari: quas semper respuit, nec lectione quidem dignas existimauit antiquitas veneranda. hinc de his ad Cornelium Cyprianus: [b] Viderint qui vel furori suo, vel libidini seruientes, & diuinæ legis, & sanctitatis immemores, iactitare interim gestiunt, quæ probare non possunt; & cum innocentiam destruere ac expugnare non valeant; satis habent, fama mendaci, & falso rumore maculas inspergere. Certe quod Præpositis & sacerdotibus congruit, danda est opera, vt talia cum a quibusdam scribuntur, per nos respuantur. Porro hæc fieri debere ostendimus, si quando talia quorumdam calumnioſa temeritate conscripta sunt, legi apud nos non patimur.] hæc acerrimus vindex existimationis Apostolicæ Sedis, & qui sederet in ea Romani Pontificis, martyr glorioſissimus Cyprianus. ac de vestris litteris hactenus.

[a] *Nicol. ep. 9.*

* *al.* considentibus

[b] *Cypr. ep. 42.*

Quoniam autem fortasse contigerit, vt aculeata Paræneſi vos queramini a nobis esse perstrictos: ad illam prouoco vos sacrorum Prouerbiorum sententiam: [c] Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis:] in memoriã reuocando, quod scripsit lacrymans Ieremias.

[c] *Prou. 27.*

mias,inde videlicet populo florẽtiſſimo,& ciuitati ampliſſimæ excidium proueniſſe,quod (vt ipſe inquit) Prophetæ non aperiebant tibi iniquitatem tuã,vt te ad pœnitentiam prouocarent.] Vnde maximi loco emolumenti ducere debeatis,ſi hortando,monendo, rogando,& arguendo veſtra ad curationẽ peccata detegimus,quorũ,dũ latent,ſit prorſus deſperanda ſanatio. Quamobrẽ vt dicam cũ Apoſtolo:

a *Philip.3.* [a] Eadem ſcribere, mihi quidem non pigrũ,vobis autem neceſſariũ. Videte canes,videte malos operarios, videte conciſionem.] Nempe cauete hæreticos, quos & habetis inter vos habitantes,& eiſdem conniuentes prauos Catholicos, conciſionẽ ſuadentes,nimirũ ab Eccleſia Catholica ſciſſionem. Qui ſcindit,ſcindatur ipſe,acclamatũ eſt ſæpe in Con

b *Ierem.50.* cilijs œcumẽnicis,ſecundum illud propheticum: [b] Quæ fecit,facite illi.] nempe vt qui ſcidiſtis Eccleſiã Dei: patiamini ipſi in Republica veſtra ſciſſuram. Admoneat vos periculum veſtrum: exterreat perditio veſtra. Periculum, inquam,quod Deus ob leuiorem populi in ſacerdotem contemptum conuertit iratus in Regnum ſanctam ipſam quã inſtituerat Rempublicam inter Hebræos. Audite ſcribentem ad Rogatianum Epiſcopum ſanctum [c] Cyprianum

c *Cypr.ep.65.* glorioſiſſimum martyrem, & iſta ex diuino oraculo ſic deducentem: Cum Samuel ſacerdos a Iudæorum populo ob ſenectutem, ſicut tu modo, contemneretur; exclamauit

d *1.Reg.8.* iratus [d] Dominus,& dixit: Non te ſpreuerunt,ſed me ſpreuerunt. Et vt hoc vlciſceretur, excitauit eis Saul Regem, qui eum iniurijs grauibus affligeret, & per omnes contumelias & pœnas ſuperbũ populum calcaret, & premeret, vt contemptus ſacerdos de ſuperbo populo vltione diuina vindicaretur,] dum ipſorum Rempublicam ſua Deus plantatam manu mutauit in Regnum. hæc vos pericula vitanda moneo.

Exterreat vero vos magis,quam dixi timendam, perditio veſtra. Nam cum grauius peccatum,grauius ſuppliciũ iure exigat; & vtique cum inſolentius, & contumelioſius agitur in ſacerdotem, grauiorem conſueuerit Deus inferre vindictã: quæ igitur manere putatis vos damna, qui adeo

enor-

enormiter peccastis in eum, qui loco Petri sedet in Apostolica Sede, Christi Vicarium? immo in Christum ipsum peccastis, dum eius tunicam inconsutilem (quæ est Ecclesia) schismate conscidistis. Sit vobis in exemplum Saul, cum contempto Samuele, eius spretis iussis, vendicauit sibi, quod sacerdotalis muneris esset: quem & passus redarguentem, vt abeuntem retineret inuitum, ipsius scidit pallium[a] recedentis, cum & de vltione mox accepit oraculum, Samuele ad ipsum dicente: Scidit Dominus regnum Israel a te hodie.] Et quod ea sententia non esset quauis pœnitentia reuocabilis, ista horrore plena verba subintulit: Porro Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo est, vt agat pœnitentiam.] & quantumlibet dixerit Saul ipse: Peccaui, non fuit dignus audire, vt Dauid reprehensus a Nathan: [b] Et Deus transtulit peccatum tuum.] nec vidit post hæc amplius Samuelem perditionem ipsius frustra lugentem. Quæ ipsa in exemplum perfidorum Principum iura Ecclesiæ inuadentium [c] Damascenus aduersus Iconomachos agens inducit, atque ait: Regum est ciuilis administratio: ecclesiastica vero constitutio Pastorum atque Doctorum. Impetus iste latronum est, Fratres. Saul scidit pallium Samuelis. Et quid ei contigit? Abscidit regnum eius Deus.] Abscidistis vos, & conscidistis in frusta tot scissionibus, quot inobedientijs contumacibus Christi tunicam in Romano Pontifice. Quid non timendum? vel non pauendum? Fiat, rogo, Deus ipse misericors & placabilis vobis, in omnibusq. propitius, sicut cum per Ieremiam [d] comminatus est populo, dicēs: Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua:] & tamen eodem contextu inferius subdit: Obducam cicatricem tibi, & a vulneribus tuis sanabo te, dicit Dominus.] Non enim obliuiscetur misereri Deus. Expiate igitur culpam, crimen abluite lacrymis pœnitentiæ.

Erigite insuper animos, rememoramini [e] pristinos dies, in quibus illuminati magnũ certamen sustinuistis, quando nõ cõmiscuistis vos schismaticis, sed arctissimo glutino vnitatis Romanæ inhæsistis Ecclesiæ; ob idq. passi grauissima a

a 1. Reg. 15.

b 2. Reg. 12.

c Orat 2. Ioan. Damasc.

d Ierem. 30.

e Hebr. 10.

Longobardis,& a cõtribulibus veſtris,quo nomine ab Ho-
a Habetur 8. Tom. Annaliũ hoc Anno 630. prope fin. norio Romano Pontifice, datis [a] ad comprouinciales Epi-
ſcopos litteris, Veneta Reſpublica, Chriſtianiſſima ab eo-
dem fuerit appellata, inſigni gloriæ titulo, nonniſi de Ro-
mana Eccleſia bene merenti conferri ſolito. Sed & præter
egregium titulum quid præterea fuerit eadem Reſpublica
Veneta virtutis merito ab eadem Sede Apoſtolica conſe-
b Lib.2. ep.39. cuta, glorioſe prædicat Gregorius [b] Septimus, ſic ſcribens
ad Dominicum Ducem & populum Venetiarum: Scitis
enim, quoniam præ multis terrarum partibus diuina di-
ſpenſatio terram veſtram Patriarchatus honore ſublima-
uit, cuius dignitatis eminentia ex ſui ipſius nominis, & of-
ficij prærogatiua adeo auguſta & rara eſt, cum non am-
plius quam quatuor in toto mundo reperiantur.] & infe-
rius: Poſt Apoſtolicam Sedem,omnibus quæ ſunt in Occi-
dente gentibus clariores extitiſtis.] Vnde autẽ tanta vobis
gloria,pontificijs monimentis adeo celebrata, niſi ex ſchiſ-
matis odio implacabili, & Romanæ Eccleſiæ pace & vni-
tate tenaciſſima comparata? Propagata vero felicioribus,
ſicut & maioribus incrementis,cum itidem maiores veſtri,
veſtræ Reipublicæ decus & ornamentum,in ſummo diſcri-
mine conſtituti,cum dubia lance ſuſpenſus penderet orbis,
& Principatus illi viderentur penitus interituri omnes, qui
audaciſſimo Principi, ſchiſmatico Imperatori, Friderico
Aenobarbo aduerſus Romanam Eccleſiam contra Alexan-
drum Pontificem non iungerentur: ijdem veſtri generoſiſ-
c Rom. 4. ſimi prædeceſſores, vere Chriſti fideles, in ſpem [c] contra
d Hebr. 11. ſpem credentes,elegerunt [d] affligi cum populo Dei potius,
quã regnare cum Eccleſiæ Romanæ hoſte obſtinatiſſimo
Pharaone. Sicq. iuncti tunc fœdere cum Longobardis,facti
ſunt omnes ſimul Romanæ Eccleſiæ defenſores,ſchiſmatis
vero fortiſſimi euerſores, honeſtiſſimo patefacto aditu, ad
ſuam ipſorum Rempublicam Chriſtianiſſimam augendã,
conſeruandã,ac ſolidandam. Quibus a Domino tunc datũ
eſt,vt in ipſorum primariam Venetam ciuitatem trophæa
inferrentur partæ victoriæ;quando & facti ſunt ipſi nobiliſ-
ſimi ciues tanti Pontificis exceptores, exhibitores etiam

triumphi omniũ præstantissimi, sed & munificentissimi in expensis, promptissimi in obsequijs, in custodijs solertissimi. Vnde sibi celeberrimã a mortalibus cunctis immortalemq. gloriã compararunt, illustrata tunc mirifice eadem ciuitate manubijs Augustalibus, magis vero pontificijs aucta fulgoribus, & sacris locupletata muneribus, e pœnu cælesti largissime, Deo manum suam aperiente, profusis: honoris insuper titulis consignata perennibus, illis vero præcipuis, ex quibus præstantissimi ciues eius iure nominati sunt, schismatis euersores, vnitatis Catholicæ defensores, pacis conciliatores, fundatores quietis, atque Romanæ Ecclesiæ susceptores, ac protectores.

At quinam modo audent insurgere eiusdem Reipublicæ hostes audacissimi, tantæ gloriæ euersores, vt contrarijs factis tenebrosa obducãt ista caligine; aspergãtq. ignominijs, quæ tot tantisq. sudoribus parta, sanguine comparata est, auitam gloriã? Cum autẽ consueuerint in quauis bene instituta Republica iuniores æmuli esse maiorũ; nec pati ab antiquioribus suis esse degeneres, quos & factis egregijs superare contenderint: quinã modo [a] spiritus vertiginis exagitauit Principes sapiẽtes, vt ab Ecclesia Romana (quod pro monstro habendum) adeo pudenda contradictione defecerint?] Potuitne istud fieri, vt a Petro scinderetur schismate Marcus, a patre filius, a magistro discipulus, ac minister assiduus, & vbique fidelis? Qui enim olim maximo lucro vestro, nonnisi odio schismaticorum reliquit a se fundatam ecclesiam Alexandrinam: maximo quidem damno vestro, si sic perstiteritis (quod Deus auertat) vos relinquet, & Petro fixus inhærens, eius Vicario assidebit, & assurget in opus, contra schismaticos & hæreticos collaborans.

[a] *Isai. 18.*

Aliena vos pericula moneant. consueuit post scissionem desolatio sequi. Donatus in Africa schisma conflauit, a quo Donatistæ denominati fuere, qui vbi incurabiles redditi frequentiori lapsu, dati sunt omnes iusto Dei iudicio vna cum Africana prouincia Vuandalis primum, atque demum in excidium sempiternum Arabibus. In Oriente non solum quã diximus, Alexandrina, sed & reli-

quæ ſedes Patriarchales, vbi ſchiſmate ſe ab Eccleſia Romana ſciderunt, ſciſſæ ſunt pariter a protectione diuina, datæ omnes in captiuitatem, & ignominioſiſſimam ſeruitutem nefandæ Turcarum genti, ſub cuius iugo ferreo hactenus indies magis magisq. teruntur: in primis vero Græci ipſi auctores ſchiſmatis, exigente pœnas diuini acerbitate Iudicij, vt palea ſub plauſtro ferrato teruntur, & conterentur, quouſque deſinet eſſe [a] neruus ferreus ceruix eorum. Ad quod tam grande malum anteuertendum, egregie laborauit ſuo tempore, quo ſumpſit exordium Photianum ſchiſma, Baſilius Imperator, qui in diuino illo conſeſſu Octauæ œcumenicæ Synodi, Spiritus ſancti gratia congregatæ, ad præſentes ibi ſchiſmaticos egregiam habuit orationem, quam adhuc integram conſeruant Acta ſynodica: ex qua aliqua ſaltem hic vt deſcribantur, a nobis exigit importune rerum & temporum opportunitas. Audite quæſo tunc illis tantum, ſed nunc vobis ipſis Imperatorem diuino prorſus afflatum Spiritu perorantem:

[a] *Iſai.48.*

Vos quoque, inquit, qui curatione indigetis, ac medela opus habetis, pretioſa membra Chriſti, etſi neſcio quomodo a malo dæmone detēti, a capite, nempe a Romano Pontifice ſeparati eſtis: Vitis vera, quæ propter contentionem importunam, immo vero iniuſtam, in amaritudinem conuerſa es: Amici & proximi noſtri, etſi propter odium irrationabile ex aduerſo appropinquantes & ſtantes, ac vnitatem reſpuentes. Suſcipite admonitionis ſermonem (non autem confundor dicere) etiam deprecationis. In id enim nos adduxit miſericordia, quam circa vos habemus. Scrutamini intima conſcientiæ veſtræ, & inuenietis vos male ab Eccleſia eſſe diſiunctos. Nouiſſima hora eſt, & Iudex pro foribus eſt, fratres: ne præoccupemur ab eius Eccleſia ſequeſtrati, & longe ab illius gloria proijciamur. Nihil turpe ducamus, paſſionem manifeſtare, & vulnus oſtendere, ac locum pœnitentiæ & medicinæ requirere, atque intra atrium ſaluantium fieri; ne confuſionem obedientiam arbitrando, confuſionis æternæ ſumamus experimentū. Qualis autem hæc eſt confuſio, fratres, procidere Deo, & veniam

B. IGNATIVS LOYOLA.
B. FRANCISCVS XAVERIVS.
IN NOMINE IESV OMNE GENV FLECTATVR.
B. ALOYSIVS GONZAGA.
B. STANISLAVS KOSTKA.
Romæ. 1606. cũ Privilo et lic. superr. Ad G. rx.

niam expetere? Deo enim procidunt, qui Eccleſiæ & ſpiritalibus iſtis Patribus procidunt. Confuſio quidem reuera eſt & maximus pudor, immo vero in Deum dimicatio, nolle vnumquemque proprium confiteri peccatum, & humiliari propter Chriſtum, & lucrari & ſe, & multos.

Si autem omnino hoc confuſionem arbitramini: Ego, cui Imperij ſuperpoſita eſt corona, forma vobis efficiar huius optimæ humilitatis. Ego qui imperitus, & inſipiens ſum, bonum initium ero veſtrum qui ſapientes eſtis, & ſcientia clari. Ego qui in peccatis volutatus ſum, primus vobis typus fiam, qui mundi eſtis, & virtuti operam datis. Ego primus memet ſuper pauimentum proijcio, purpurã & diadema paruipendens: aſcendite ad genas meas, & ſuper oculos meos incedite, nec reputetis magnum, Imperatoris calcare ſcapulas: nec reuereamini pedibus tangere verticem, cui ſuperimponitur a Deo donata corona: omnia pati promptum habeo, & agere promptius, quæ vobis quidem confuſionem, mihi autem gloriam, & maximam claritatem conferre videntur. Neque enim in hoc curam gero gloriæ meæ, tantum vt videam communionem, vnitatem, & vnam eccleſiarum feſtiuitatem, tantum ne animæ detrimentum patiar, & gaudeat ſuper me ille omnium inimicus diabolus, captiuum ſumens, quod mihi deſiderandum eſt, tantum ſpei meæ lampas inſperate non extinguatur, per quam feſtinabam communi illuſtrari lætitia & gaudio.

Neſcio quod erat ſatagendum & efficiendum, & non feci; vel quos proponendos admonitionis, & deprecationis ſermones, & non propoſui. vos de cetero videbitis. Innocens enim ſum a perditione veſtra. Si vero & ad magnum & horrendum illud Iudicium futuræ diei vos remittitis, quaſi pro vobis rationem daturos: noſcite quia bene noui, quia nullus vobis iuſtitiæ ſermo ſiue hic adeſt, ſiue illic aderit, niſi quantum in hac controuerſia inuentum extiterit. Verum ſi vultis ante illud Iudicium, conſcientiæ veſtræ interrogare iudicium: dicetis amplius nihil, quam quod ab Imperio noſtro dicitur. Deponite igitur contentio-

tiones, fratres, & reſumite amorem fraternitatis: fugite diſſenſionem, & vnitatem amplectimini: odium auertite, & dilectionem in ſinum recipite: ſtate cum probabilibus, & capiti compaginamini. Recipite per obedientiam diuinæ communionis gratiã, & nihil ob ſæcularia ſitis ſollicíti. Sunt enim apud compatientiſſimum Imperium noſtrum ſuſceptionum modi diuerſi, per quos conſolabimur, & inceſſanter, quæ ſecundum ſæculum vobis opportuna fuerint, faciemus. Rurſus multimode decertabimus, obſecrantes, rogantes, & omne ingenium commouentes ad ſpiritales Patres noſtros & Patriarchas, vt diſpenſent quid eorum quæ inſunt animo veſtro; tantum ne temere contra ſalutem veſtram agatis. &c.] hæc & alia plura Imperator ad ſchiſmaticos Epiſcopos, ſententia Romani Pontificis excommunicatione damnatos, hactenus in ſchiſmate permanentes.

Iſta ſi ſpernitis, tanta charitate, atque animi demiſſione pronuntiata ab orthodoxo Imperatore, & eius contemnitis lacrymas: hoſtium proculdubio eritis audituri cachinnos, & ab æmulis eiuſmodi ex diuina Scriptura iactari ludibria, & ſubſannari improperijs iſtis: Hæccine [a] eſt vrbs perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ? Aperuerunt ſuper te os ſuũ omnes inimici tui,] addentes: [b] Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis plena iudicij?] Exprobrantes inſuper cum deriſione deliria in ætate decrepita Reipublicæ ſeneſcentis, annisq. iam reliquas ſuperantis; & quidẽ inexcuſabilibus rationibus. Nonne delirium eſt, aduerſus Deum mortales bella ſuſcipere, & contra diuinam inſtitutionem audere laicos Dei miniſtris ſacerdotibus dominari? Deliramentum quis eſſe negauerit, non curare, immo ſumme contemnere, habere loco ioci, immo & lucri, ab Apoſtolica Sede, ab ipſa Catholica Eccleſia excommunicatione eſſe præciſos? Deliratio nonne plane omnium maxima eſt, ſperare extra Eccleſiam conſequi poſſe ſalutem? At inſuper quam grande illud delirium, Eccleſiam Romanam de veſtra Republica ſemper bene merentem, conciliatricem Principum in ſacrum fœdus, in bello ſociam,

[a] *Thren. 2.*

[b] *Iſai. 1.*

ciam, in pace matrem, erga filiam propensiorem, beneficentia largiore pandentem sinum frugum : eamdem ab eiusdem filiæ amplexu diuellere, ac diro schismate separare? cum id nihil aliud sit, quam eiusdem Reipublicæ neruos succidere, & caput amputare? Sed delirium plane risu dignum quis neget, velle contra stimulum calcitrare, & obstinato animo vrgere, vt fronte feriat durissimam petrã atque confringat? At non delirantis senis tantum, sed furentis insania animi signum illud est euidens, pro titulis gloriæ infame schismaticorum nomen consequi laborare, ac demum illud pudendum, quod ipsi adiacet, hæreticum. Sed & illud quidẽ grande delirium apparet omnibus, quod subvelamine libertatis, nectãtur vincula seruitutis, connexa peccatis, testante id diuina [a] Scriptura, quæ euacuari non potest, quod qui facit peccatum, seruus est peccati, & quod funibus [b] peccatorum suorum peccans quisque ligetur: contra vero contemnatur vera libertas, quæ sanctæ religionis cupiat vincula salutaria, quibus tantum obligata, libera consistere possit, ac tuta, fortis, & permanens glorioſa, secundum illud [c] Ecclesiastici ita monentis: Injce pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuũ.] & sequitur: Erunt tibi, inquiens, compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ, & vincula illius alligatura salutis.]

a *Ioan.* 21.

b *Prou.* 5.

c *Eccls.* 6.

His vero & alijs id genus obiectantibus vestræ gloriæ æmulis & aduersarijs, Respublica ipsa, longiori senio effecta prudentior, mente sana, corde sapiens, ipsius nempe sanior pars ciuiũ, quod Anna Heli, iuste ista respondeat: [d] Nequaquam desipio, sed mulier infelix nimis ego sum: nec reputet me quis quasi vnam de filiabus Belial.] Nolens ipsa & inuita patior ista Politicorũ pressuris suffocata nouantium. Respiciat iam Deus ignominiã meam, & iudicet.

d *1. Reg.* 1.

At hic tandem finis esto. Sed doleo vehementer, quod absque, Valete. Ioannes [e] enim Apostolus id vetat facere, & cum eo omnis simul Ecclesia, quod indignos salutatione iuste iudicet eos, qui non cõmunicantes Romanæ Ecclesiæ, omnis penitus sint salutis expertes. Quod nolim putetis,

e *Ioan. epist.*

sym-

ſymbolum eſſe odij. Abſit. Quiſnam eſt qui magis præcipiat & inculcet inimicorum dilectionem, ipſo Ioanne? Neminẽ odit Eccleſia, quæ inimicos diligendos eſſe, monet ſcriptis, & ingerit verbis; ſed quæ a Deo (vt ipſa [a] teſtatur) charitatem acceperit ordinatã: quæ ſunt Dei, diligat ipſa; & peccata, quæ ſunt extra & contra Deum, odio perſequatur. Hinc Auguſtinus [b] ſcribens ad Maximinum Donatiſtarum ſchiſmaticorum anteſignanum, eadem ratione deteſtatus in ipſo dirum ſchiſma, inter alios titulos, quibus honorare fas eſt hominem extra Eccleſiam poſitum, nominat dilectiſſimum. Teſtis eſt mihi Deus, quomodo vos omnes cupiam in viſceribus IESV Chriſti, & hoc oro cum Apoſtolo, [c] Epheſios commonẽte, vt in Eccleſia Catholica ſitis vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ.] extra quam connexionem & vnitatem nulla cuiquam penitus poterit eſſe ſalus, ſed lugenda ſemper abſque redemptione damnatio. Faxit Deus, vt ſancti Spiritus gratia, diffiata illa caligine, qua obtexit Deus in furore [d] ſuo filiam Sion, arrideat nobis prior illa veſtra ſerenitas; & ſidera errantia, [e] quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum,] in firmamento Eccleſiæ fixa reſplendeant in æternum, ſecundum illud propheticum: [f] Stellæ dederunt lumen in cuſtodijs ſuis, & lætatæ ſunt, vocatæ ſunt, & dixerunt, Adſumus: & luxerunt ei cum iucunditate qui fecit illas.] Amen.

Sit autem vobis Paræneſis hæc (vt ſic perorẽ cum [g] Auguſtino ad Donatiſtas) correctio, ſi velitis: Teſtis vero, & ſi nolitis.]

a *Cant.* 2.

b *Aug. ep.* 203

c *Epheſ.* 4.

d *Thren.* 2.

e *Iud. epiſt.*

f *Bar.* 3.

g *Aug. ep.* 162.

A 109/58

UNIVERSIDAD DE SEVILLA

600149619

A. 109/058

i23697982 (1)
i23698184 (2)
i23698548 (3)
i23698573 (4)